## MCXIX.

Dat. die 26 augusti 1797 anno XXIII.

Damnatio electionis, et consecrationis pseudo archiepiscopi Ultrajectensis in Belgio.

Dilectis filiis universis catholicis in fœderato Belgio commorantibus.

### Pius PP. VI.

Dilecti filii, salutem, et apostolicam benedictionem.

Miratur pontifex renovatum fuisse exemplum temeritatis, et contumaciæ in prætensa electione, et consecratione archiepiscopi

§. 1. Perlatus ad Nos est infelix nuncius, dilecti filii, pristina in ista Ultrajectensi ecclesia nuper renovata esse contumaciæ, ac audaciæ exempla; electum nempe in Ultrajectensem archiepiscopum fuisse die decima mensis maij Joannem Jacobum Van Rhyn, eundemque die 5. julii episcopalem accepisse consecrationem ab Adriano Joanne Brockmam Harlemensi inter suos nuncupato episcopo. Ista quandoquidem in conspectu pene vestro peracta sunt, minime dubitamus, quin vos statim, præteritorum non ignari, omnino respuenda esse judicaveritis, ac pro vestra cum Romana b. Petri cathedra conjunctione detestati maxime sitis; quod facile intelligatis pluribus cumulatis ejus pertinaciæ, ac temeritatis actibus, graviores illos vel ex ipso temporis cursu, magisque execrandos effici. Tamen Nostri Nos officii memores, nostrisqe, ac prædecessorum Nostrorum vestigiis insistentes has ad vos dare literas non omittimus, ut Nostros, quos antea in simili causa non semel cognovistis, nunc etiam pontificios vobis sensus confirmemus.

Utramque illicitam, ac sacrilegam declarat, et exercitium ordinis impedit.

§. 2. Itaque apostolici judicij auctoritate declaramus, ac decernimus tam electionem ejusdem Joannis Jacobi Van Rhyn in archiepiscopum Ultrajectensem, illicitam, irritam, ac nullam, quam ejus consecrationem esse illegitimam ac sacrilegam, contraque sacrarum legum sanctionem factam; memoratumque Adrianum consecratorem, et ipsum Joannem electum, consecratumque, omnesque eos, qui partem in nefaria electione habuerunt; quique tam electioni, quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque quomodolibet præstiterunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiæ communione segregatos, et prorsus schismaticos habendos, et vitandos esse pronunciamus, constituimus, et mandamus: præterea dictum Van Rhyn declaramus ab omni exercitio eorum, quæ jurisdictionis sunt, et quæ ordinis, esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub pœna excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendæ, ne ullo pacto chrisma conficere, confirmationis sacramentum conferre, clericos ordinare, aut alia quæcumque sunt episcopalis ordinis, exercere valeat, decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque prorsus roboris, ac momenti omnes, et singulos alios actus, quos attentare præsumpserit.

Vetat ne quis ordines a pseudo archiepiscopo recipiat.

§. 3. Qui vero ab ipso ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint. Dum hæc vobis, dilecti filii, pro rei gravitate significanda duximus, illud etiam ne ignoretis, volumus, ipsum Van Rhyn certiores Nos ejusmodi actorum per suas literas die x. julii datas facere voluisse, quodammodo illudere Nobis, sanctæque huic Sedi insultare tentans, cum nequaquam inscius esset, quo sensu excepturi ejus literas essemus, in quibus talem præseferens inobedientiam, pacis tamen, et charitatis osculum a Nobis petit, paternamque benedictionem efflagitat. Si id serio, ac ex animo postulasset, maximum Nobis ad ejus status commiserationem præbuisset incitamentum. Verum prætermittit omnia, quæ ipse optime novit præmitti oportere, ut Nos ad porrigendam pœnitenti, ac supplicanti dexteram inclinaret.

Monita ad episcopos, et Christifideles in Belgio commorantes.

§. 4. Quo ipso admonitos volumus vos, dilecti filii, ut omnino ab illius fallacibus, blandisque verbis caveatis. Illi enim, qui ab hac petræ soliditate defecerunt, omnem dare operam non desinunt, ut alios ab eadem per fraudem, deceptionemque misere seducant, suaque perversitatis, et contumaciæ peste depravent. Sed ea est Nostra de vestræ fidei, pietatis, et erga hanc Sedem observantiæ studio, quod egregie semper probastis, existimatio, ut nihil a vobis aliud expectemus, quam quod pristinas laudes vestras, ac in præclaris meritis constantiam magis in dies augeat, ac illustret. Proinde vobis, dilecti filii, et in divinorum munerum auspicium, et in paternæ singularis benevolentiæ testimonium apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam peramanter impertimur. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta au-

gusti millesimo septingentesimo nonagesimo septimo pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

## MCXX.

Dat. die 1 septembris 1797 anno XXIII.

Instantibus monialibus ordinis s. Augustini excalceatis nuncupatis diœcesis Carthaginensis indulgetur, ut officium in honorem beati Joannis de Ribera ab ipsis recitari die ejus festo, et a sacerdotibus in earum ecclesiam convenientibus missa tum ei officio conformis celebrari possit.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ moniales excalceatæ ex ordine eremitarum sancti Augustini asceterii Corporis Christi oppidi Murciæ civitatis nuncupat. diœcesis Carthaginensis, magno se studio ardere colendi apud se singulari aliqua præ ceteris ratione b. Joannem Ribera; Nosque orare, et obsecrare, ut sibi desuper opportune providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; audito etiam dilecto filio magistro Dominico Coppola congregationis sacrorum rituum secretario, iisdem, ut officium ritu duplici minori in honorem supradicti beati in die ejus festo, prout jam concessum a Nobis est in diœcesibus Ispalensi, Pacensi, et Valentina ipsæ recitare; et sacerdotes omnes eodem die ad celebrandum convenientes in earumdem ecclesiam celebrare missam ei officio conformem libere, et licite possint, ac valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non commemorati oppidi, aut diœcesis, aut ordinis, ipsiusque asceterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima septembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

## MCXXI.

Dat. die 5 octobris 1797 anno XXIII.

Confirmantur nonnulla decreta pro congregatione Camaldulensi Pedemontana.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem libenter in iis suam interponere auctoritatem, quæ ad partium studia præsertim inter christifideles, qui in religione propius Deo famulari susceperunt antevertenda, ac sedandas controversias, quæ non sine aliquo christianæ charitatis detrimento difficillime aluntur, rite, ac prudenter disposita sunt, ut omnem optatum assequantur effectum, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Salvator major fratrum eremitarum ordinis Camaldulensis congregationis Pedemontanæ, Sylvester et Hyacinthus ejusdem ordinis, et congregationis visitatores generales, nec non Robertus prior eremi Taurinensis, quod cum novissimis temporibus in ordine, ac congregatione prædictis plures exortæ sint simultates, ac dissidia in pacis, ac tranquillitatis eversionem, quæ adeo necessariæ noscuntur, ut regularis disciplina religiose custodiatur: hinc tum ad tollenda vigentia mala, tum futura antevertenda in suo capi-

tulo generali nuperrime habito definitorium nonnulla articula præscripsit, seu decreta, quæ unanimi consensu fuerunt adprobata tenoris, qui sequitur.

Tenor articulorum.

§. 3. A 10. Maggio 1797. *Volendo* il reverendissimo definitorio rimettere per quanto è possibile la nostra congregazione nel primiero, ed antico stato di libertà spirituale ed economico politico, e considerata la moltiplicità dei decreti capitolari fatti in addietro, quali ingeriscono confusione, ed innosservanza, ed alcuni dei quali angustiare possono e coartare la coscienza contro lo spirito delle nostre costituzioni approvate dalla Sede apostolica, ha giudicato di ridurli come infra in virtù della illimitata facoltà, che ha il capitolo generale di ciò fare, tanto a riguardo delle costituzioni, come dei decreti capitolari, che non obligano di più delle costituzioni medesime.

De observantia decretorum capitularium.

§. 4. Primo resteranno illesi tutti li decreti capitolari fatti, e soliti a leggersi relativi al divin culto e servizio, espressi ne' primi sei capitoli della fatta ultima compilazione. Quanto al vitto, e vestito comune, si osserverà, e conserverà la consuetudine ora vigente in congregazione.

De vetita carnium comestione.

§. 5. Starà ferma la proibizione di mangiar carne fuori dei nostri luoghi, ed occorrendo caso d' infermità il tribunale potrà concedere licenza per le case dei secolari con moderazione, e cautela; quanto al mangiarne in cella in questo sacro eremo, dove vi è l'infermeria, il tribunale ne darà licenza, ma non il priore, che avrà tuttavia la facoltà di concedere il brodo di essa in caso di bisogno.

De receptione oblatorum.

§. 6. Gli oblati non si riceveranno in congregazione, se non nel sacro eremo di Torino, come gli altri novizi, e nella maniera fin ora praticata. Si osserverà il decreto riguardante l' elezione dei discreti, e la precedenza dei vocali in tempo di capitolo generale; nè si rimoverà alcun corista dal suo eremo, quale sia vocale, ne' sei mesi precedenti il medesimo, e dovendosi per qualche caso straordinario fare il contrario, si osserverà quanto fu decretato su questo particolare. Continuerà ad aver luogo il decreto, che incomincia, *Trovandosi ne' nostri capitoli* riferibile ai parenti, consanguinei, o affini nelle votazioni, come pure quei decreti che regolano l' esercizio manuale.

Sarà perpetua l' obbligazione ai priori di trasmettere alla dieta, e seco portare a capitolo generale lo stato di casa dei rispettivi loro eremi, la nota dei debiti, e crediti da leggersi nel sabato precedente la terza domenica dopo Pasqua, prima dell' elezione del definitorio innanzi ai pp. vocali, ed i libri d'entrata, ed uscita col libro dei depositi ed impieghi correlativi. L' elezione dei cellerarii resterà privativa del capitolo generale, ed infra l' anno al tribunale o dieta a tenore del rescritto pontificio.

De prohibita librorum mutuatione.

§. 7. Seguiteranno ad essere in vigore i decreti di proibizione di dare, o imprestare libri incorporati nelle nostre librerie, e la facoltà di trasportare da un eremo all' altro quelli che sono stati provvisti con particolari elemosine di messe.

De libera celebratione missarum.

§. 8. La celebrazione delle messe sarà libera, come si pratica presentemente, e così pure si osserverà quanto fu posteriormente ordinato per gl' infermi, agonizzanti e defonti di nostra congregazione.

De publicatione decretorum.

§. 9. Li pp. visitatori faranno compilare una nuova raccolta dei decreti conforme al presente, e la spediranno per la solita pubblicazione in ogni eremo, prima della scadenza dell' anno corrente.

De decretis edendis tempore visitationis.

§. 10. Per ultimo li pp. visitatori generali, e particolari, pel buon governo, tranquillità, e pace delle rispettive famiglie, faranno in atto di visita i decreti particolari, quali daranno da una visita all' altra, e qualora venga fatta gravatoria ordinazione ai priori, o particolari, si dovrà avere ricorso al tribunale per la moderazione interpretazione, o rivocazione. Terminato il biennio saranno di niun valore se non saranno per la loro utilità spirituale, o temporale confermati.

De conservatione regestrorum.

§. 11. Il libro dei decreti soliti leggersi nella quaresima, si conserverà intatto nell' archivio del tribunale, fino a tanto, che un nuovo capitolo generale disponga altrimenti.

De decretis a capitulo generali non faciendis.

§. 12. Li nostri capitoli generali futuri, non potranno più fare verun decreto riguardante la comune osservanza, o quello confermare, se non vi concorrono li tre quarti dei voti affermativi di tutti gli vocali, compreso il definitorio, il che tutto proposto e ballottato passò con tutti li voti favorevoli.

De compositione, et silentio imponendo jurgiis, et querelis.

§. 13. A 12. Maggio. Decreto secondo. Per ubbidire, e secondare la mente di sua sacra real maestà, che si è degnata di mostrare verso la romitua nostra congregazione per tratto speciale di sua bontà, compiacenza, ed af-

fetto, e ridonare una pace universale; per quanto è possibile, li padri del reverendissimo definitorio impongono un generale silenzio sovra le questioni insorte, che hanno agitato la medesima, ed aboliscono ogni particolare criminazione seguita contro chi che sia fino al giorno d'oggi, e commandano in virtù di santa ubbidienza, e sotto formale precetto, che chiunque ritenesse alcuna scrittura publica, o privata contro il buon nome, e buona fama di qualunque individuo, debba fra lo spazio di giorni quindici quella abbruciare, ed in avvenire saranno quelle considerate di niun valore, e riproducendosi sarà castigato chi le presenterà, facendosi il definitorio un dovere di porre in perpetua dimenticanza qualunque imputazione alternativa, fattasi in addietro in eseguimento ed ubbidienza ai supremi comandi del degnissimo e religiosissimo nostro real sovrano.

De celeritate in judiciis servanda.

§. 14. E perchè è dovere il rendere giustizia ad ognuno imparzialmente, si ordina al tribunale, che sarà pro tempore, ed ai visitatori generali in atto di visita, di agire secondo le istanze ragionevoli, che infra l'anno, o in detto tempo saranno fatte e qualora il padre maggiore ricusi di regolarmente procedere in dipendenza delle medesime dovranno questi avvertirlo per due volte di terminare al prescritto delle costituzioni, le querele che saranno al detto tribunale riferite, ed in caso di rifiuto, sarà facoltativo ai padri visitatori di agire, e sentenziare senza l'intervento di esso, al quale giudicio dovranne acquietarsi i religiosi di nostra congregazione, ed associarsi col priore, che sarà pro tempore di questo sant' eremo in questo solo caso; e dovrà specificarsi nelle loro risoluzioni il rifiuto fatto dal padre maggiore.

De libertate visitatorum generalium.

§. 15. L'indipendenza personale dei visitatori generali, risulta chiaramente dalla natura del loro grado dalle costituzioni, e consuetudini, perciò i padri del definitorio vi hanno prudentemente proveduto, quale provisione si conserverà in tribunale, e quanto sopra essendo stato dal reverendissimo padre presidente proposto, e ballottato passò con tutti i voti favorevoli; non avendo però il padre definitore don Leonardo voluto intervenire cogli altri; cioè col suo voto alla ballottazione allegando, che vi ripugnava la sua coscienza; il che non ostante il definitorio ha diversamente ordinato di farsi, e di stabilire quanto sovra, massimamente che per due giorni fu il decreto ventilato, e dallo stesso don Leonardo modificato.

Segue il tenore di detta provisione

Provisio pro servanda libertate visitatorum.

§. 16. Qualora i padri maggiore, o priore avessero qualche cosa in contrario da opporre circa il compagno di viaggio, che li visitatori generali scelgono per se stessi, dovranno li suddetti spiegarne il motivo a detti visitatori, e se sarà legitimo si persuade il definitorio che defferiranno il rispetto dovuto a detti padri maggiore, e priore, ma se non risulterà tale, potrà il detto compagno ubbidire ai visitatori, e non dovrà il padre maggiore negargli la benedizione che per una lodevole consuetudine suole concedersi dal medesimo, quando si pronotta fuori dell' eremo.

Confirmatio apostolica.

§. 17. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat quo præinserta articula firmius subsistant, et serventur exactius memorati exponentes apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, illorumque singulas personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati præinserta articula, seu decreta, ac omnia, et singula in eis contenta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 18. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviobiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de la-

tere legatos; et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 19. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et congregationis præfatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

## MCXXII.

Dat. 3 die octobris 1797 anno XXIII.

**Indultum pro monialibus sanctæ Luciæ nuncupatis civitatis Reatinæ egrediendi e monasterio certis anni temporibus.**

Venerabili fratri episcopo Reatino.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ abbatissa, ac moniales monasterii s. Luciæ ordinis s. Francisci istius civitatis Nostræ Reatinæ, quod alias, ac novissime per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum a Nobis obtinuerunt ad triennium, ut pro spirituali illarum consolatione e monasterio præfato ad visitanda quædam sanctuaria extra mœnia ejusdem civitatis sita bis in anno egredi possent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat indultum prædictum ad triennium, ut præfertur prorogari obtinuerint; atque ex indulto hujusmodi nullum unquam incommodum, ac scandalum exortum sit, ut illud perpetuis futuris temporibus confirmari, immo, ut si ex aliqua intercedente causa uti minime velint, ut pro sanctuariis prædictis ad aliquas ecclesias intra mœnia ejusdem civitatis sitas visitandas, pariter bis in anno egredi possint, per Nos eis concedi summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque sensentiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, ac mandamus, ut quatenus vera sint narrata, ipsis modernis, et pro tempore existentibus abbatissæ, monialibus,

expresse professis, novitiis, educandis, conversis, et aliis in dicto monasterio degentibus, ut bis in anno in diebus ab abbatissa dicti monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandis ab ortu usque ad occasum solis e dicto monasterio egredi, atque ad sanctuaria prædicta extra mœnia istius civitatis Nostræ Reatinæ adire, ac visitare possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas, quod si interdum aliquas ecclesias intra mœnia dictæ civitatis sitas, et a te pro tuo arbitrio, et prudentia eligendas pro sanctuariis prædictis visitare maluerint, id pariter abbatissæ, ac monialibus, cæterisque personis prædictis auctoritate Nostra apostolica indulgendi, dummodo tamen bis tantum in singulos annos hoc indulto utantur, plenam, et amplam facultatem tribuimus, et impertimur.

Conditiones servandæ.

§. 3. Ut autem hæc rite, et ordine, ac juxta cor Nostrum fiant eidem fraternitati tuæ districte mandamus, ut facultatem, et licentiam prædictam non aliter exercere sinas, quam, ut infra, præscribimus, ut nempe præter ea, quæ pro tuo arbitrio, et pro opportunitate erunt statuenda, die per abbatissam prædictam, ut præfertur, destinanda, et a te approbanda nonnisi per ortum solis ex dicto monasterio ab ordinario confessario, ac decenti comitatu a te præscribendo associatæ egrediantur, ut recto tramite ad sanctuaria, seu constitutas ecclesias intra mœnia civitatis prædictæ, quin sub ullo unquam prætextu, causa, aut titulo ad domos sæcularium divertere, sed aliquod tantum monasterium monialium clausuræ ejusdem civitatis, obtenta prius a te licentia, et ad præmissum effectum minime deneganda, ingredi possint, modeste, ac velum etiam ante faciem dimissum deferentes petant, et ante occasum solis intra dicti monasterii septa regrediantur; utque dum sanctuaria prædicta extra mœnia ejusdem civitatis Reatinæ visitare intendunt, ob longam conficiendam viam aliquam refectionem corporalem in aliquo commodo, atque apto loco sumere possint, ita ut curata per ministros ejusdem monasterii, aut aliquos quoscumque parca refectione, seu prandio hujusmodi, prout decet personis in sortem Dei vocatis, statim hi e loco assignato exeant, et clausis januis villæ, seu domus, in quo ipsæ moniales, aliæque personæ prædictæ fuerint, et clavi per confessarium caute servanda in villa, seu domo præfata nullus masculus, neque ipse confessarius, cæterique de comitatu, minusque agricolæ, aut domus, seu villæ custos, neque feminæ quæcumque etiam servitio adscriptæ, illisque inservientes cujusvis status, gradus, conditionis, et dignitatis, nec non monialium, et educandarum, ac conversarum consanguineæ existentes sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto etiam per abbatissam, ac moniales, et alias personas prædictas, si ad id aliquo modo, et pacto consenserint, incurrendæ, ac privationis præsentis gratiæ remaneant, in eadem villa, seu domo, sic, ut præfertur, clausa commorari, comedere, aliqua religiosæ relaxationis agere possint, dummodo, ut pariter præmittitur, hora competenti, et ante occasum solis intra dicti monasterii clausuram reperiantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super clausura monialium, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, et ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

Dat. die 7 novembris 28 julii 1797 anno XXIII.

## MCXXIII.

Instante episcopo Majoricensi indulgetur, ut in feria sexta post octavam corporis Christi a clero sæculari civitatis et diœcesis prædictæ officium sanctissimi cordis Jesu recitari possit.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater episcopus Majoricensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ob eam, qua in Jesu Christi Domini Nostri passionem afficitur, pietatem, ejusdem passionis, et mortis pro generis humani redemptione amantissime initæ memoriam in dies augeri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere; ac, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Dominico Coppola sacrorum rituum congregationis secretario, ut in posterum ab universo clero sæculari civitatis, et diœcesis Majoricensis, nec non a religiosis, et monialibus utentibus calendario diœcesano quotannis in feria sexta post octavam solemnitatis sanctissimi corporis Christi recitari possit ritu duplici majori officium cum missa in honorem sacratissimi cordis Jesu jam approbatum pro regnis Portugalliæ, et Algarbiorum auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

---

Dat. die 7 novembris 1797 anno XXIII.

## MCXXIV.

Instante clero et hominibus loci de Alaba Terulensis diœcesis indulgetur, ut festum cum officio sancti Christophori patroni principalis dicti loci agi in posterum possit die secunda maii fixe simul assignato primo die non impedito officio sancti Athanasii eo die occurrenti.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii presbyteri, et magistratus loci Alaba nuncupati Terulensis diœcesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, pro eo, quem erga sanctum Cristophorum martyrem patronum principalem ipsius loci præseferunt, affectu, ejusdem cultum, et venerationem cum majore, quo fieri possit populi commodo in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Dominico Coppola sacrorum rituum congregationis secretario, ut, accedente venerabilis fratris episcopi Terulensis consensu, in eodem loco Alaba festum sancti Chri-

stophori in posterum in die secunda mensis maii loco diei decimæ mensis julii, quo adhuc celebratum est, translato in eumdem diem officio duplicis primæ classis, et octava, nec non præcepto adstandi sacro, et cessandi ab operibus servilibus, fixe simul assignato primo die non impedito juxta rubricas officio sancti Athanasii occurrenti in dicta die secunda maji, agi possit auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis nec non dictæ diœcesis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vigesimo tertio.

---

## MCXXV.

Dat. die 7 novembris 1797 anno XXIII.

Instante episcopo Tlascalensi indulgetur, ut ab universo clero sæculari, a religiosis et monialibus kalendario diœcesano utentibus in die non impedito per ordinarium designando recitari possit officium pretiosi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis

§. 1. Cum, sicut venerabilis frater episcopus Tlascalensis in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ut ipse pro singulari, quam in sanctissimi redemptoris Domini Nostri Jesu Christi præsefert, devotione, ejus memoriam, et venerationem in dies augeri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Dominico Coppola sacrorum rituum congregationis secretario, ut quotannis in posterum ab universo clero sæculari diœcesis Tlascalensis, nec non a religiosis, et monialibus utentibus calendario dioecesano in die non impedito officio novem lectionum semel fixe ab eodem venerabili fratre episcopo Tlascalensi destinando recitari possit ritu dupl: maj: officium cum missa in honorem pretiosi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi servatis rubricis auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

Dat. die 17 novembris 1797 anno XXIII.

## MCXXVI.

Præceptum, ut præbendæ canonicales in ecclesia collegiata terræ Bictoniæ Assisiensis diœcesis nonnisi originariis loci concedantur.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii homines communitatis terræ Bictoniæ Assisiensis diœcesis, quod Nos alias ad divini cultus augmentum, atque ejusdem terræ, quæ inter cæteras provinciæ Umbriæ insignis, et antiqua est, decus, aliisque rationabilibus adducti de causis cleri, et communitatis prædictæ precibus annuentes ex pluribus beneficiis, atque ex redditibus parochialis ecclesiæ sub titulo sanctæ Mariæ Majoris in dicta terra existentis, unam collegiatam ecclesiam in eadem parochiali ecclesia, quæ constasset ex decem canonicatibus, seu præbendis canonicalibus, ac dignitate archipresbyterali, cui onus animarum curæ esset, auctoritate Nostra apostolica ereximus, atque constituimus, prout in Nostris hisce desuper sub die xiii. martii anni MDCCXCIII. sub plumbo expeditis literis uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes, atque clerus præfatus hac in re illud maxime in mentem habuerint, ut ex hisce canonicatibus, seu præbendis popularibus suis prospiceretur, fieri autem potest, ut in posterum, dum canonicatus, et præbendæ hujusmodi vel per obitum, vel per dimissionem, vel alias quomodolibet vacaverint, ea conterraneis suis minime conferantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; audita prius venerabilis fratris episcopi Assisiensis relatione, supplicationibus hujusmodi inclinati; ut in posterum, et perpetuis futuris temporibus, dum canonicatus, seu præbendæ prædictæ, vel per obitum, vel per dimissionem, aut alias quomodolibet pro tempore vacabunt, ad ea, nisi cives originarii, non autem adgregati ejusdem terræ Bictoniæ nominari, aut præsentari, ac conferri possint, ita ut si canonicatus aut præbendas hujusmodi, quoties pro tempore quomodocumque vacaverint aliis quam civibus originariis prædictis conferri contigerit, collatio ipsa nulla sit eo ipso, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, et ordinamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus cancellariæ Nostræ apostolicæ regulis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

Dat. die 21 novembris 1797 anno XXIII.

MCXXVII.

Instante capitulo, et canonicis collegiatæ ecclesiæ insulæ Gaulensis Melitensis diœcesis extenditur indultum gestandi aliqua insignia alias eisdem concessum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ insulæ Gaulensis Melitensis diœcesis, quod Nos alias ejusdem collegiatæ ecclesiæ insignem dignitatem, nec non eorumdem canonicorum erga Nos, et hanc sanctam Sedem fidei constantiam, ac devotionem considerantes, eidem capitulo, atque canonicis, ut omnes, et semper ubicumque etiam in Romana curia, crucem pectoralem octogonam ex encausto vulgo di smalto rubei coloris, auroque circumdatam, et quatuor libiis aureis cum ei desuper apposito imperiali ex auro confecto diademate, et in cujus centro ex encausto cærulei tamen coloris, et ovalis forma auro referto gloriosum beatæ Mariæ virginis nomen gyroglificis literis sit insculptum de collo per tæniam sericam ejusdem cærulei coloris auro exlistatam, et in humeris duobus terminantem aureo, et serico mixtis flocculis descendentem gestare libere, ac licite possent, auctoritate apostolica concessimus, prout in Nostris hisce desuper sub plumbo anno millesimo septingentesimo octuagesimo primo expeditis literis uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nonnullis rationabilibus de causis pro tænia serica aureo contexta prædicta funiculum pariter aureo contextum, ac floccis pariter ornatis uti, atque insuper pro mozzetta coloris violacei ejusdem coloris subsuta, illam deinceps purpurei coloris subsutam cum suis globulis, atque ansis pariter purpureis deferre posse summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis canonicis dictæ collegiatæ ecclesiæ, ut in posterum non solum pro tænia serica aureo contexta prædicta, e qua tum pectoralis crux prædicta in pectus, ac flocculi serici cum aureo mixto pendent, funiculum sericum purpurei coloris aureo contextum cui in pectore dicta crux pectoralis, ac in humeris flocci purpurei pariter coloris auro mixti appensa pariter sint deferre, sed etiam, ut mozzettam coloris violacei, quam gestare jamdiu solent, deinceps serica tela purpurei coloris adsuere, ac globulis, et ansis ejusdem purpurei coloris ornare libere, ac licite possint, et valeant respective, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit memoratis Nostris sub plumbo expeditis literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

## MCXXVIII.

Dat. die 21 novembris 1797 anno XXIII.

Confirmatio transactionis initæ a capitulo, canonicis, et archiepiscopo Ferrariensi super nominatione ad cappellaniam, seu beneficium ecclesiasticum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, ut in ea, quæ ad tollendas controversias, atque inter ecclesiasticas præsertim personas dirimendas lites, ex quibus plerumque christiana charitas perturbatur, scite prudenterque conventa, et statuta fuere, providentiæ Nostræ partes interponamus, animo Nos decet libenti petentium desideriis congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Noster Alexander Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis De Matthæis nuncupatus ex indulto, et dispensatione apostolica archiepiscopus Ferrariensis, quod cum alias inter ipsum ex una, et dilectos filios capitulum, et canonicos suæ cathedralis ecclesiæ Ferrariensis ex altera parte gravis exorta sit controversia de ac super nominatione ad cappellaniam, seu beneficium sub titulo sancti Joannis evangelistæ de Calamelli nuncupat. in dicta cathedrali ecclesia erectum, unde tum ipse Alexander cardinalis archiepiscopus, tum capitulum, et canonici prædicti e re sua utrique putarunt cappellanos nominare, ac lis hujusmodi adeo processerit, ut etiam illius cognitio ad causarum palatii Nostri apostolici auditorium delata sit, tamen postmodum memorati litigantes omnem controversiam transactione decernere statuerunt, quapropter fuerunt exhibita, atque utrinque approbata capitula tenoris, qui sequitur.

Tenor transactionis.

§. 3. Capitoli, co' quali sembra, che si potesse terminare amichevolmente la lite agitata prima in Ferrara avanti di monsignor vicario, ed ora nel tribunale delle s. Rota, per la provisione del benefizio, o cappellania di san Giovanni evangelista detto de' Calamelli della metropolitana di detta città di Ferrara fatta dall' emo. e rmo. sig. cardinal Mattei arcivescovo di detta città a favore dell' allora chierico ora sacerdote d. Pio Cittadella sotto il dì 11. dicembre 1793. e vertente tra l' e. s. rma. per una parte, e tra il rmo. capitolo di detta città, ed il mansionario sig. d. Michele Lambertini per l' altra.

I.

Pacta conventa.

§. 4. Che il suddetto sig. d. Lambertini rinunziasse a qualunque diritto a lui competente in forza della nomina a detto benefizio, e presentazione coram ordinario fatta dal suddetto rmo. capitolo.

II.

Che si rinunziasse alla lite, o liti tanto in giudizio di manutenzione, quanto di petitorio da ambe le parti suddette dimenticandosi da tutte le parti le spese.

III.

Che per questa volta sola abbia ad avere il suo pieno effetto la suddetta provista in favore dell' anzidetto sacerdote Cittadella, e che abbia a continuare nel pacifico possesso dei benefizio, e percezione de' frutti, ed altri diritti.

IV.

Che in avvenire, cessando però le affezioni, e riserve apostoliche rimanga a disposizione del rmo. capitolo la nomina, e presentazione del rettore, a detto beneficio non solo, ma anche dell' altro di sant'Antonio di Vienna, da farsi avanti all' emo. ordinario per averne da lui la instituzione alla forma, e tenore de' codicilli di ser Calamello Favelli fondatore dell' uno, e dell'altro beneficio; dovendosi fare per parte del medesimo capitolo la nomina, e presentazione nel termine di giorni otto a forma di detti codicilli.

V.

Che nel concorso di qualche affezione, o riserva apostolica nei rettori di detti beneficii, o in alcuno di essi debbono in conseguenza rimaner salvi, ed illesi i diritti della s. Sede apostolica, e dell' emo. sig. card. arcivescovo pro tempore sempre che questi sia fornito dell' indulto di conferire i beneficii riservati, o affetti alla s. Sede suddetta come fin ad ora è stato osservato.

VI.

Che il rmo. capitolo ad ogni requisizione dell' emo. sig. cardinale ar-

civescovo sia tenuto di dargli copia autentica de' codicilli di Ser Calamello Tavelli da conservarsi nella sua cancelleria a perpetua memoria, onde possa li medesimi codicilli avere sempre presenti, e consultarsi ne' casi occorrenti.

VII.

Che sopra la concordia suddetta abbiasi a spedire l'opportuno apostolico beneplacito a spesa comune delle parti per la validità, a fermezza perpetua della riferita transazione, e debba obbligare il rmo. capitolo, e l' emo. sig. cardinal arcivescovo, e li suoi successori.

VIII.

Finalmente che qualora faccia d' uopo il S. P. si degni di sanare, in atto della spedizione del predetto apostolico beneplacito, la provista del prememorato beneficio di s. Gio. evangelista detto de' Calamelli a favore del sacerdote Pio Cittadella in allora chierico, per essere richiesta nella fondazione la qualità sacerdotale, la quale sembra di presente non essere necessaria, attesa la riduzione anni sono fatta, con autorità apostolica dell' obbligo di personalmente celebrare continuamente la messa ad annue messe 332. alla ragione di bajocchi 14. l' una per la notabile diminuzione della rendita del detto beneficio, o cappellania di san Gio. evangelista, per cui al presente il rettore o cappellano di detto beneficio non può godere della esenzione accordata dal fondatore dal celebrare, accedente corporali necessitate, sive justo impedimento, et justa causa; siccome anche si degni il S. P. colla pienezza di sua autorità di dichiarare, che in appresso si possa provvedere di detto beneficio, o cappellania anche un chierico per ragione della variazione dello stato di detto beneficio o cappellania, non ostante la contraria disposizione del fondatore.

Apostolica confirmatio.

§. 5. Cum autem sicuti eadem expositio subjungebat, dilectus filius Michael Lambertini nominationi, ac præsentationi de sui persona ad beneficium, seu capellaniam a capitulo, ut præfertur, factæ solemniter renunciaverit, atque hisce desuper ab ipsis fuerit transigentibus reservatum necessarium beneplacitum apostolicum tum pro validitate actus inter ecclesiasticas personas, tum pro derogatione quatenus opus esset, voluntati fundatoris, seu fundatorum: Nobis propterea memoratus Alexander cardinalis archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares quorum interest personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et ablutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præinserta capitula, ac omnia et singula in eis contenta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, ac approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque fundatorum dispositionibus, codicillis, et testamentis, quibus per præsentes derogare intendimus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima novembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

## MCXXIX.

Dat. die 1 decembris 1797. anno XXIII.

Extensio pro hypotheca super bonis ecclasiasticis in regno Sardiniæ existentibus.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Emmanuel Sardiniæ rex illustris, quod quamvis inter cætera subsidia, quæ per Nostras in simili forma Brevis sub die xviii. mensis julii labentis anni expeditas literas ejus precibus annuentes, ex bonis cleri sæcularis, et regularis utriusque sexus intra limites suæ ditionis consistentis, angustiis, quibus ob urgentissimas causas regium suum ærarium premebatur, paravimus, ei concesserimus, ut omnia, et quæcumque bona ecclesiastica cleri sæcularis, et regularis prædicti, exceptis bonis ad mensas episcopales, et parochiales spectantibus, tum pro securitate sortis principalis, tum pro interusuriis a suo regio ærario pro subventoribus mutui argenti per suum edictum diei xvi. martii currentis anni rogati hypothecæ usque ad summam centies mille millia librarum monetæ Pedemontanæ supponere posset, cum tamen hoc remedium satis non sit, ut status ab urgentissimis malis, quibus est obnoxius ob immodicum æs alienum novissimis temporibus contractum, emergatur, quinimmo regium ærarium ex interusuriis dicti rogati mutui ultra vires prægravaretur, laici vero præter onera jam ei imperata nova sustinere impares sint, ne res publica alias bene constituta miserrime dilabatur, ut a clero tum sæculari, tum regulari hypothecæ prædictæ loco sibi subsidium quinquagies mille millia librarum monetæ Pedemontanæ solvatur, summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsius Caroli Emmanuelis votis quantum cum Domino possumus annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, motu proprio, ex certa scientia, ac matura delibratione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine unum subsidium quinquagies mille millia librarum Pedemontanarum ab omnibus, et quibuscumque archiepiscopis, episcopis, ac aliis ecclesiarum præsulibus, prælatis, ecclesiis parochialibus, capitulis, monasteriis, congregationibus, ordinibus, aliisque piis locis sæcularibus, et regularibus utriusque sexus quibusvis privilegiis suffultis, etiam undecim congregationum, aliisque speciali mentione dignis, ac quibuscumque militibus, etiam fratribus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani in ditione, ac dominio ejusdem Caroli Emmanuelis regis pro sua uniuscujusque assignanda rata portione solvendum tenore præsentium indicimus, atque imperamus: ita tamen ut ecclesiæ archiepiscopalis, et episcopalis ad subsidium hujusmodi nisi pro rata, quæ annuum redditum librarum duodecim mille monetæ Pedemontanæ; et ecclesia metropolitana Taurinensis annuum redditum librarum hujusmodi triginta mille superet, parochiales vero nisi pro rata, quæ excedat annuum redditum librarum ter mille ejusdem monetæ respective teneantur. Quo autem subsidium hujusmodi ecclesiarum archiepiscopalium, parochialium, capitulorum, monasteriorum, congregationum, ordinum, aliorumque locorum piorum sæcularium, et regularium, ac etiam præceptoriarum seu commendarum, ac dignitatum militiarum etiam sancti Joannis Hierosolymitani hujusmodi possessores, seu administratores, tum sæculares tum regulares pro sua rata portione cum effectu persolvere valeant, iis ut sua unius cujusque bona, redditus, ac proventus quoscumque pro eadem rata portione tantum vendere, ac alienare, vel etiam hypothecare absque solemnitatibus a sacris canonibus in contractibus hujusmodi prærequisitis, et sine ullo ecclesiasticarum pœnarum bona ecclesiæ irrogatarum incursu libere, ac licite possint, et valeant, motu, scientia, et auctoritate paribus tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Sanctio poenalis pro exactione subsidii facilius curanda.

§. 3. Ut porro hujusmodi sic impositum subsidium facilius exigi possit venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopisque, ac cæteris prælatis jurisdictionem quasi episcopalem in ditione eidem Carolo Emmanueli regi subjecta habentibus committimus, ac mandamus, ut de ipsius Caroli Emmanuelis regis consensu ecclesiasticas personas non vero laicales in commissarios collectores, et exactores subsidii hujusmodi constituant, ac deputent,

qui omnes summas juxta faciendam distributionem intra terminum ejusdem Caroli Emmanuelis regis arbitrio præfigendum perceptas memorato Carolo Emmanueli regi, sive ministris, et personis ab eo ad hoc deputatis integre consignare, et tradere debeant. Præterea eisdem archiepiscopis, et episcopis, cæterisque prælatis hujusmodi per præsentes pariter concedimus, ut quatenus ipsi a memorato Carolo Emmanuele rege requisiti sint juxta datam sibi a Deo prudentiam, et pro eorum arbitrio numerum præbendarum, seu canicatuum ecclesiarum collegiatarum tantum, non autem cathedralium intra suam uniuscujusque diœcesim consistentium numerum imminuere, vel etiam easdem collegiatas ecclesias, quatenus in Domino opportunum videatur, assignatis respondentibus pensionibus illarum canonicis, ac beneficiatis, auctoritate Nostra apostolica supprimere, ac extinguere, illorumque bona quæcumque in eamdem publicam causam attribuere, et applicare libere, ac licite possint et valeant; quamobrem eis hæc omnia juxta tenorem præsentium auctoritate Nostra apostolica faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi plenam et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

*Collatio facienda a clero sæculari, et regulari a subsidii solutione exempto.*

§. 4. Tandem cum æquum, et justum sit, ut etiam alia pars cleri sæcularis, et regularis, quæ subsidio hujusmodi obnoxia, ac subiecta non est, in bonum publicum aliquid conferat: hinc motu, scientia, ac auctoritate, et tenore prædictis præcipimus, ac mandamus, ut omnes, et singuli possessores abbatiarum, ecclesiasticorum beneficiorum, seu capellaniarum, aut præceptoriarum, seu commendarum, exceptis iis, qui, ut præfertur, ad subsidium prædictum contribuunt, unum annuum proventum, seu annatam, seu cujusque abbatiæ, beneficii, seu capellaniæ, ac præceptoriæ, seu commendæ, detractis tamen prius oneribus quorumcumque vectigalium, ac pensionum, quibus gravantur, nec non dempta summa librarum sexcentum monetæ Pedemontanæ in propriam substentationem, et exhibitionem convertendam commissariis, exactoribus, et collectoribus prædictis pro publica utilitate persolvere omnino teneantur: sicuti pariter decernimus, ut omnes ii, qui aliquam annuam pensionem excedentem summam librarum quingentarum dictæ monetæ super bonis, redditibus, ac proventibus ecclesiasticis sibi reservatam, constitutam, et assignatam exigunt, et percipiunt, ad solutionem unius annatæ ejusdem pensionis pro rata portione tamen, quæ dictam summam librarum quingentarum superat, in eamdem publicam utilitatem erogandæ obnoxii, et subjecti omnino sint.

*Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, et locorum piorum, ac ordinum, congregationum, societatum, militiarum, hospitiorum, aliorumque prædictorum, et quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis et usibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis ejusdem ecclesiis, monasteriis, collegiis, hospitiis, conventibus, et locis piis, ac ordinibus, congregationibus, societatibus, militiis, et aliis prædictis, illorumque præsulibus, capitulis, abbatibus, aliisque superioribus, et personis quibuslibet etiam in limine fundationis, et erectionis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas ge-

nerales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse statuimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

De conservatione ornamentorum ecclesiasticorum curanda.

§. 7. Cæterum volumus pariter, ut juxta piæ memoriæ Clementis pp. V. prædecessoris Nostri in concilio Viennensi æditam constitutionem, calices, libri, cæteraque ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, et beneficiorum, ac piorum locorum sub præsentibus comprehensorum divino cultui dicata, aliave suppelex ecclesiastica causa pignoris, vel alias occasione exactionis, et solutionis contributionis, seu vectigalis, seu tributi hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, aut quomodolibet occupentur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima decembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

---

Dat. die 5 decembris 1797 anno XXIII.

## MCXXX.

Indultum recitandi missam B. M. V. ad Nives, et officium proprium alias monialibus asceterii concessum extenditur ad fratres ordinis s. Francisci de observantia provinciæ Portugaliiæ.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis provinciæ Portugalliæ fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, quod Nos alias per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum dilectis in Christo filiabus monialibus asceterii titulo sanctissimi Crucifixi ordinis sanctæ Claræ civitatis Lisbonensis ad impetrandum Beatæ Mariæ Virginis patrocinium in hora mortis, cum in ejus honorem peculiare festum die decimatertia mensis augusti agere consueverint, ut in eadem die in earum ecclesia officium cum missa Beatæ Mariæ Virginis, ut in festo ad Nives cum lectionibus secundi nocturni, et orationibus propriis tunc adprobatis recitare possent, utque etiam sacerdotes omnes eadem die in eadem ecclesia ad sacrificandum convenientes missam de eodem festo celebrare valerent, auctoritate apostolica indulsimus. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, veneratio Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Bona Morte ad illius validissimum assequendum auxilium in supremo vitæ agone, ubi nempe antiquus hostis omni contentione, ac vi sua christifideles in sui condemnationem pertrahere studet, in Portugalliarum regnis longe lateque diffusa sit, hinc memoratus exponens, quo tam utilem, tamque proficuam in Beatam Mariam Virginem religionem inter fratres suæ provinciæ, cæterosque, qui ejusdem provinciæ kalendario utuntur, promoveat, ut indultum alias per Nos, ut præfertur, dictis sanctimonialibus concessum sibi pariter, ac provinciæ, cæterisque prædictis per Nos dari summopere desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut indultum prædictum ad omnes fratres, et ecclesias fratrum ordinis, et provinciæ prædictorum, cæterosque, qui kalendario ejusdem provinciæ canonice utuntur, auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus, eisque, ut in conventibus, ac ecclesiis ordinis, et provinciæ hujusmodi, cæterisque, qui juxta kalendarium prædictum horas canonicas recitant, ac missam celebrant, ut die decima tertia augusti cujusque anni officium pro dicto asceterio adprobatum recitare, ac missam præscriptam celebrare libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si eis principaliter indultum fuisset concessum, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

---

Dat. die 12 decembris 1797 anno XXIII.

## MCXXXI.

Instante commissario generali Indiarum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum confirmantur nonnulla articula.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem libenter in iis pastoralis suæ providentiæ auctoritatem interponere, quæ ad tollendas animorum ambages, regularemque disciplinam sancita sunt, ut ea sic in ævum stare certius possint, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Nuper siquidem dilectus filius Paulus de Moya frater ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, ac commissarius generalis Indiarum Nobis exponi fecit, quod cum alias munera, seu officia commissariorum generalium in Indiis residentium interdicta, seu suspensa fuerint, plura hinc dubia inter fratres sui ordinis missionarios in Indiarum regnis commorantes sibi subjectos exorta sunt, quorum ab ejus auctoritate enixe postulabatur, ut pote quæ solutio una ad sedandas omnes animorum perturbationes, nec non religiose custodiendas Innocentianas constitutiones pro collegiis apostolicis de Propaganda Fide editas optima videbatur. Quodque insuper iidem fratres missionarii ab eo desiderabant, ut ipse aliqua præmia pro exantlatis laboribus, cuique in futurum constitueret: quapropter ut hisce postulationibus pro debito sui officii munere faceret satis, atque ut quantum in eo est suorum subditorum quieti, et regulari disciplinæ studeat, viginti, et octo concinnavit articula tenoris, qui sequitur.

I.

Tenor articulorum, et de computatione decennii pro fratribus conscendentibus naves Indias versus.

§. 3. Constituimus, ut decennium fratribus ad collegia de Propaganda Fide pro missionibus migrantibus a die ipsa, in qua naves conscendunt Indias versus, dummodo jam sacerdotes sint, vel si nondum sacerdotes reperiantur, a die, qua ad hunc sacrum ordinem erunt promoti, numerandum sit: et sic pariter annus approbationis requisitus ad obtinendum jus utriusque suffragii in guardianorum capitulis erit computandus: ut frater, qui per annum in collegiis commoratus est, ad provincias transit, et dein ad eadem collegia regreditur, habendus sit veluti missus ad ferendum suffragium in electionibus, quin denuo annus approbationis ab eo sit suscipiendus, quod idem servandum venit pro commigrantibus ex uno in aliud collegium. Nemo jus alieni suffragii habebit, seu in prælatum eligi poterit, quin a quatuor annis eidem collegio sit incorporatus: electio vero guardianorum, et commissariorum, qui missionibus præsunt deinceps sic erit omnino peragenda: tres ex omnibus vocalibus cujusque capituli erunt pluribus suffragiis eligendi cui major pars vocalium suffragata erit, præses ejusdem capituli eum guardianum, seu commissarium præfectum omnino renuntiabit, nullo ei hisce desuper relicto arbitrio juxta dispositionem secundæ Innocentianæ constitutionis sub numero trigesimo, alii vero duo erunt discreti; ac deinde a vocalibus prædictis tertius, et quartus discreti erunt designandi, ita ut, qui duo plura tulerint suffragia in discretos etiam erunt constituendi. Quo autem consentiatur dispositioni statuti tum generalis Romæ anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, tum custodiarum de Propaganda Fide anno millesimo septingentesimo octogesimo ab

Emmanuele de la Vega editi pro electionibus visitatorum, præsidentium capitulorum provincialium, et custodialium, ubi nominati a prælato generali suum adventum diutius different, statuitur, ut si expletis duobus solidis annis cum dimidio officii guardianorum prædictæ superiorum dispositiones nondum pervenerint, tunc quæque discretoria suos visitatores, et præsidentes, aut ex alumnis sui cujusque collegii, aut ex alumnis provinciæ eis, quoad suffragia unitæ eligere poterunt, et debebunt: sic vero electi suis muneribus fungentur cum iisdem prorsus facultatibus, quibus nominati a superioribus generalibus utuntur: ita tamen ut si diplomata commissaria pro muneribus prædictis nondum solido triennio exacto accipiantur, quamvis, ut præfertur electi visitationem susceperint, illico ab ea desistent, et in eo statu a commissario generali Indiarum pro tempore existente nominati illas continuabunt, usque dum præsidentiæ capitulorum, eorumque incidentiæ juxta ordinis prædicti statuta ad effectum sint redditæ, atque ad præcavenda incommoda guardianus et discreti de ipso celebrationis capituli anno certiorem facient commissarium generalem, ut ipse ad proximum futurum capitulum visitatores, et præsidentem opportune deputet.

II.

De suffragiis faciendis pro fratribus eorum qui Indias petunt.

§. 4. Ut obeunte fratre, priusquam navim conscenderit, suffragia in ipsius animæ expiationem erunt facienda a provincia, seu collegio, a quo discessit; si autem ascensa jam navi, tunc eadem suffragia per provinciam, seu collegium, cui erat assignatus, erunt explenda: quod si aliqui ex iis, qui collegiorum decennium jam exegerunt, postquam a collegio, seu provincia missi fuerunt, decesserint, quoties id contingat, aut priusquam navim Hispaniam versus ascenderint, aut antequam alicui ex provinciis Indiarum fuerint addicti, tunc onus suffragiorum erit seminario, cui inservierunt: si vero jam conscensa navi, tunc erit provinciæ, ad quam revertuntur illorum animæ suffragari: si tandem hi missionarii alicui ex provinciis Indiarum fuerint adjuncti, expleto decennio in collegiis, tunc hi tanquam fratres seniores quoad suffragia censentur.

III.

De privilegiis eisdem concessis.

§. 5. Ut si missionarii, exacto decennio, in suis collegiis juxta apostolicas constitutiones, ac præsertim secundum Innocentianam constitutionem numero XXV ad aliquam ex provinciis Indiarum adjungantur, erunt subinde idonei, et capaces ad omnia munera, et officia ejusdem provinciæ obtinenda a die, qua fuerunt adgregati.

IV.

Idem ut supra

§. 6. Ut collegiorum missionarii deinceps hisce fruantur privilegiis, qui nempe emensis laudabiliter duodecim annis, aut ad suas matres provincias regredi, aut provinciis indiarum, cum Hispani sint, aggregari desiderant, in iisdem provinciis erunt semper admittendi, et recipiendi cum honore, et gradu concionatoris, seu prædicatoris generalis de jure. Qui autem per sexdecim annorum curriculum sua obsequia ordini præstiterunt, iis eadem spectabunt privilegia, perinde ac si fuissent definitores, jusque erit eligendi pro suo arbitrio quemque conventum provinciæ, ut in eo adfilientur, et ad illum adjungantur: si vero per viginti annos inservierint, perfunctis interim muneribus, seu officiis commissariorum missionum, et illarum collectorum, hi, sicut pariter guardiani et collegiorum discreti, et qui per quindecim annos munus magisterii in aliqua utili scientia, seu facultate exercuerint, omnes hi, si aut ob infirmam valetudinem, aut ex alia justa causa apostolico ministerio se abdicare postulaverint, tunc non solum jure sibi eligendi pro suo arbitrio quemlibet conventum, verum etiam omnibus, et singulis privilegiis tam de jure, usu, et consuetudine ministris provincialibus inter limites provinciarum suæ filiationis, aut adgregationis competentibus uti, frui, et gaudere libere, ac licite poterunt: immo fratres provinciarum Hispanarum dicti ordinis, qui ad provincias Indiarum erunt adjuncti, postquam laudabiliter memoratum annorum curriculum emensi fuerint, a die, qua eisdem provinciis fuerunt adgregati pro alternativa censeatur habilitati. Hisce tamen addendum est, ut collectores missionum in suis respective collegiis sint discreti perpetui, eodem prorsus modo, quo commissarii missionum, ac guardiani tam actuales, quam habituales; ita tamen ut omnes

prædictæ præeminentiæ, atque exemptiones subrogationis habendæ sint sine præjudicio patrum immediati, et senioris, atque aliorum, qui sunt ex-provinciales ex jure subrogationis, quoad dictos patres immediatum et seniorem.

V.

De confessariis.

§. 7. Ut confessores in suis respective provinciis constituti illorum institutionis vi omnium subditorum ordinis prædicti sacramentales confessiones excipere, nec non propria peccata, cui confessario ejusdem ordinis voluerint quamvis nisi a ministro provinciali ipsi facultates habeat, confiteri poterunt: salvo tamen semper jure ordinariorum, suarumque facultatum.

VI.

De nominatione prædicatorum.

§. 8. Ut guardianus, et collegiorum discreti prædicatores, et confessarios tum fratrum, tum monialium nominare, dimissoria ad ordines concedere, ac illos ordinariis præsentare poterunt, quos ad verbum Dei evangelizandum, atque Christifidelium utriusque sexus confessiones audiendas idoneos, et capaces reputabunt, non secus ac provinciales; quoad suos subditos sine pariter jurium, ac facultatum ordinariorum localium præjudicio.

VII.

De concessione habitus regularis.

§. 9. Ut guardianus, et collegiorum discreti regularem habitum concedere, atque ad religionem, et professionem regularem emittendam eos admittere queant, in quibus et vera vocatio elucebit, atque ea erunt, quæ ab Innocentiana constitutione sub numero: 21. prærequiruntur; sicuti pariter arbitrii majoris partis discretorii erit, illos interdum inter fratres ordinis prædicti accipere, qui viginti, et unius anni ætatem nondum exegerunt, ita tamen ut hisce desuper illorum conscentia onerata sit, et omnia juxta sacrosancti Tridentini concilii decreta fiant, ac nemo recipiatur ultra illorum numerum, qui commode ex eleemosynis sustentari possunt.

VIII.

De fratribus missionariis in quolibet collegio recipiendis.

§. 10. Ut fratres missionarii post decursum decennium in aliud collegium recipi possint: quod si justis de causis ante emensum decennium traslationem hujusmodi postulent ad aliud pariter collegium adgregari poterunt, accedente tamen utriusque discretorii consensu, et retento quod jam fuit præscriptum pro translatione de una ad aliam provinciam.

IX.

De præsidibus hospitiorum, et conversionum.

§. 11. Ut hospitiorum et conversionum præsides easdem habeant facultates, quibus per statuta ordinis prædicti vicarii conventuum absente guardiano, utuntur, utque in electionibus præsidum hujusmodi ea, quæ a toties memorata constitutione Innocentiana pro electione vicarii conventuum præscribitur, omnino sint servanda.

X.

De exclusione discretorum ab officio præsidum.

§. 12. Ut collegiorum actuales discreti in præsides hujusmodi neque eligi, neque domibus conversionum assignari possint durantibus eorum respective officiis.

XI.

De remotione præsidum ab officio.

§. 13. Ut præsides prædicti ab eorum officio amoveri possint, quoties guardianus, et discreti majus Dei, et regis catholici servitium id exigere censebunt.

XII.

De iis qui præsidere debent electionibus guardianorum et commissariorum.

§. 14. Ut in qualibet communitate, seu domo conversionis frater sit, qui capitulis ad eligendos guardianos, seu commissarios præsit: utque si contingat fratres de familia discrepare in electione prædicta, tunc ex duobus, aut pluribus designatis, qui officium obtinebit, erit sorte legendus: qui tamen in scriptis vocem, seu suffragium activum abdicabit, hæcque renuntiatio capitulo, et discretorio erit exhibenda.

XIII.

De jure præsidis eligendi, et deputandi vicarium.

§. 15. Ut si guardianus aliquis frater absens renuntiatus fuerit præses capituli cum discretis commorantibus in collegio eadem pollet facultate, quæ a secunda Innocentiana constitutione sub numero trigesimo secundo novo guardiano ad eligendum vicarium attribuitur, qui subinde tamquam præses in capite rem omnem administrabit primum locum occupans usque dum electus guardianus in collegium perveniat,

quod si novus electus guardianus interim e vita excedat, vel officium recuset, vicarius prædictus in suscepta administratione, et gubernio communitatis veluti præses in capite usque ad exitum unius anni cum dimidio electionis perget: si porro guardianus intra ipsum suæ electionis deficiat annum, vicarii erit intra breve trium dierum spatium a die obitus, seu dimissionis, aut renunciationis vocales omnes, quot intra spatium viginti dierum haberi poterunt, convocare pro novi guardiani electione, cui electioni dignior collegii præerit: et recens electus suum gubernium usque ad incepti triennii exitum geret: si autem guardianus in secundo, aut tertio sui gubernii anno deficiet, tunc vicarius prædictus tamquam præsidens in capite usque ad proximam capituli convocationem, quæ nunquam ultra solitum triennium protrahatur, communitatem moderabitur, ea tamen lege, ut hæc omnia commissario generali significentur, ut hinc ab illa juxta rerum, ac temporum opportunitates necessaria capiantur consilia.

XIV.

De requisitis necessariis ad admittendam dimissionem guardianorum ab officio.

§. 16. Ut quod ad admittendam guardianis dimissionem suorum officiorum, seu guardianatuum intra annum, cum dimidio sui officii a ministro provinciali illarum provinciarum, ad quas quoad suffragia adgregati sunt, spectat, prout cavetur in dicta Innocentiana constitutione sub numero: 31. consuetudo in dictis collegiis a die retenta, qua commissarii generales Peruvianus, et Mexicanus defecerunt, semper firma remanebit.

XV.

De missionibus instituendis.

§. 17. Ut guardiano, et eo absente vicario integrum sit tum missiones ad fideles populos committere non solum per sex menses ab Innocentianis constitutionibus prædictis expressos, sed etiam in aliud tempus prout mature pensatis locorum distantiis ei opportunum, ac necessarium videbitur: tum missionariis concedere, qui recusare non poterunt, ut concionarii, sermocinarii, ac de laudibus sanctorum moraliter verba facere valeant, vitia evitanda, ac virtutes ad sanctorum, qui laudantur, imitationem sequendas annuntiando.

XVI.

De domibus conversionum a nomine recusandis.

§. 18. Ut nemo deinceps ad domus conversionum, atque ad antiquas doctrinas suorum respective collegiorum se conferre recusare possit, quamvis iter vel terra, vel mari habendum sit; ita tamen ut pro conversionibus infidelium in omnibus collegiis, quod a memorata secunda Innocentiana constitutione sub numero sexagesimo tertio disponitur, indiscriminatim, ac religiose custodiatur, sint collegiales vel e Hispaniis, vel habitum susceperint, ac professionem regularem in eisdem collegiis emiserint.

XVII.

De electione fratrum pro absolutione a casibus reservatis.

§. 19. Ut guardianus, ac discreti cujusque collegii, absque ullo jurium, ac facultatum ordinariorum præjudicio, tot fratres tum intus tum extra collegia, quot juxta alumnorum cujusque collegii numerum conveniens erit, nominare possint pro absolutione pœnitentium a casibus reservatis, pro habilitatione incestuosorum, aliisque ad forum conscientiæ spectantibus peragendis.

XVIII.

Idem ut supra.

§. 20. Ut collegiorum guardianis absque pariter ullo jurium, ac facultatum ordinariorum præjudicio sit concedere facultatem absolvendi a casibus reservatis in ordine prædicto absque temporis limitatione, et toties quoties destinati e collegio discedant, aut extra claustra degant, qua quidem facultate eodem prorsus modo, nec aliter quam guardiani prædicti utentur, commissarii missionum pro suis subditis, qui infidelium, ac neophitorum missionibus inserviunt.

XIX.

De juribus guardianorum.

§. 21. Ut quidquid provinciali erga suos subditos licet, liceat pariter et guardianis collegiorum in suos; quid provinciali cum suis definitorio, et guardianis itidem cum suis discretis fas erit.

XX.

De receptione fratrum missorum a seminariis.

§. 22. Ut provincialis et definitorium, cum quibus incorporatum est respective collegium quoad suffragia, eos fratres qui a seminariis missi erunt

in provinciam omnino recipient, prout cavetur in secunda Innocentiana constitutione num. 13. ita tamen ut de hisce certiorem facere commissarium generalem Indiarum teneantur: sicuti pariter commissario generali prædicto, si regiis sumptibus hi missi fratres fuerint ducti, hæc regio Indiarum consilio significare incumbet.

XXI.

De nominatione syndacorum.

§. 23. Ut liceat guardiano cum suis discretis ubique collegiorum, et domorum conversionis syndicos, sic exigente necessitate nominare, ac instituere etiam non audita commissaria generali.

XXII.

De distributione eleemosynarum.

§. 24. Ut in collegiis, in quibus exstant eleemosynæ, et pia opera ad missiones spectantia, onus sit præsidentis capituli cum discretorio in singula triennia aliquem ex fratribus cum titulo procuratoris conversionis deputare, ut ipse hosce proventus, et fructus summa sedulitate curet, quo etiam diligenter suo officio hujusmodi fungente, eis integrum erit, illum in munus hujusmodi ad aliud sibi benevisum tempus confirmare, eique etiam aliquod congruum munus elargiri, et assignare.

XXIII.

De unione officii commissarii missionum, cum officio præfecti.

§. 25. Ut officium commissarii missionum cum officio earumdem missionum præfecti deinceps unitum sit, quemadmodum pro eis, qui in nova Hispania degunt a felicis recordationis Clemente pp. XIV. per suas in simili forma Brevis die vicesima secunda novembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono expeditas literas incipientes *Alias pro parte dilecti filii Michaelis del Rosal* fuit dispositum, et a supremo Indiarum consilio sub die decima maji millesimo septingentesimo septuagesimo fuit recognitum.

XXIV.

De electione commissarii missionum.

§. 26. Ut commissarius missionis prædictus in quolibet collegio juxta dictas constitutiones Innocentianas fundato in singula sexennia eligatur, eodem prorsus modo, quo in singula triennia guardiani eliguntur, prout expressum legitur in declaratione primi dubii; omnibus vero sacerdotibus, qui ab anno in collegio commorantur juxta consuetudinem electionum commissariorum septenalium, et primam Innocentianam constitutionem sub numero vicesimo primo huic electioni suffragium ferendi jus erit: omnes præfecti commissarii missionum sic, ut præfertur, in singula sexennia electi tamquam delegati commissariæ generalis omnem habebunt, et obtinebunt superioritatem in missionibus, et in conversionibus, quæ quodammodo ad respectiva collegia spectant, atque illius oneri, et servitio stant, cum teneantur illas visitare, atque illarum progressui invigilare, etiam fratres missionarios de uno in alterum populum, seu missionem transferendo, quando illarum bonum, atque utilias sic postulet. Quam quidem auctoritatem etiam quoad ipsos fratres, qui actu missionibus inserviunt, hi commissarii exercere poterunt, eos corrigendo, ac ad claustra etiam revocando, si obliti vocatione, qua vocati sunt, ei in sibi concredito ministerio haud responderent, aut sua mala vivendi ratione Indos perverterent: quæ quidem de consensu guardiani sui cujusque collegii fieri debent, nisi res ita urgerent, ut necessarium foret, ut ipse per se hisce incommodis prospiceret. Quod si memorati præfecti commissarii missionum ex aliqua gravi, aut utiliori causa distenti hæc per se exequi non poterunt tunc suas facultates vice-præfecto missionum, seu alteri missionario ejusdem seminarii, qui probitate vitæ commendabilis in Domino sit, committent, prout jam ab Innocentianis constitutionibus dispositum fuit.

XXV.

De facultatibus commissarii.

§. 27. Ut commissarius, ut præfertur, electus per integrum suum sexennium omnibus facultatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis utatur, quas memoratæ Innocentianæ constitutiones electo ad septennium tum commissariis, tum præfectis concedunt.

XXVI.

De forma servanda in ferendis suffragiis.

§. 28. Ut quæ usque adhuc in more fuit ad formam dispositionis secundæ Innocentianæ constitutionis sub numer. 34. in ferendis suffragiis discretorialibus, ac in eorum subrogatione, qui illa ferre debent, etiam in posterum erunt religiose retinenda.

## XXVII.

De convocatione capituli pro electione præfecti commissarii.

§. 29. Ut eveniente obitu, vel dimissione, aut abdicatione commissarii præfecti actualis nondum exacto triennio, guardianus sui collegii sub pœna privationis officii post triduum a die habitæ notitiæ computandum omnes fratres absentes ad novum capitulum coget, atque iis perventis, quibus facile fuit inter viginti dierum terminum venire, communitas erit convocanda, novumque eligendum commissarium juxta disposita in articulo. I. Cui quidem capitulo dictus guardianus præerit, atque factam electionem cum omnibus necessariis facultatibus confirmabit, atque sic electus usque ad proximum futurum capitulum guardianale, in quo novus commissarius erit seligendus, suo fungetur officio.

## XXVIII.

De guardianorum, et discretorum jure definiendi ea quæ in constitutionibus expresse non reperiantur.

§. 30. Tandem constituitur, ut ea omnia, de quibus hæc articula expresse non disponunt, guardianus, et discreti (si ipsi unanimi consensu id ad Dei cultus augmentum, ac regis catholici servitium pertinere reputabunt) per se ipsi, et quomodolibet eis cum adsistentia superioris generalis licuerit, decidere, definire, ac statuere valebunt, prout disponitur a decreto sacræ congregationis de Propaganda Fide, quod incipit *Sacra congregatio* die decima sexta novembris millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo sub numero sexto: ita tamen ut guardianus, et discreti prædicti quidquid novi ab eis statuetur, commissario generali significare teneantur, qui etiam de hoc ipso supremum consilium Indiarum certiorem reddet: utque nihil adversus hæc vicesima septima articula disponere eis fas sit. Utque quoad gratias, exemptiones, et privilegia pro fratribus dicti ordinis de observantia supra notata, et concessa fuerunt, ea etiam valeant pro missionariis excalceatis de Propaganda Fide Indiarum, qui cum eodem missionum religionis, et status progressu, et utilitate in eodem apostolico ministerio multos exantlant labores: sicuti pariter iisdem gratiis, et exemptionibus utentur missionarii conscripti ad missiones provinciarum, hac tamen tantum ratione, non autem quoad alternativam, aut paræcias, aut doctrinas visitationi ordinariorum diœcesanorum subjectas. Quod si intra duodecim annos requisitos ad obtinendas exemptiones, et privilegia prædicatorum generalium, aut sexdecim annos pro privilegiis definitorum, aut viginti annos pro privilegiis patrum provinciæ, ut præfertur, respective necessarios hi aliquam prælaturam de officio, quæ institutum cursum intercidit, consecuti sint; tunc transactum tempus nihil eis proderit, cum dictæ graduationes iis tantum debeantur, qui sine ulla interruptione susceptum curriculum emensi sunt. Ut porro haec omnia religiose serventur, sciant provinciales, et definitores eis haud licere quoquomodo variare, ac mutare assignationem, propter quam fratres conscripti fuerunt, aut propter missiones scilicet, aut propter alternativam. Insuper declaratur, quod commissarii præfecti missionum, et harum collectores iisdem ac patres provinciæ gaudere debeant exemptionibus, et quod electio, et nominatio commissariorum præfectorum missionum, qui a provinciis, non autem a collegiis de Propaganda Fide sustentantur, ad commissarium generalem Indiarum privative spectet tum pro primo sexennio tum etiam pro futuris usquedum aliter disponendum sit, ex quibus tamen nihil in iis, quæ in articulis primo, et vicesimo quarto ubi de electionibus commissariorum præfectorum collegiorum fuit dispositum, innovatum, aut mutatum censendum erit.

Confirmatio apostolica.

§. 31. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo præinserta articula firmius subsistant, et serventur exactius memoratus exponens apostolicæ firmitatis patrocinio communiri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnia et singula præinserta articula, ac quæcumque in eis inserta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 32. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; atque illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 33. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

# PIUS VI.

## ANNO VICESIMO QUARTO

Dat. die 15 martii 1798 anno XXIV.

### MCXXXII.

Supplicante episcopo Egitaniensi confirmatur reservatio annuæ perpetuæ pensionis ducatorum 51. auri de camera, et juliorum duorum monetæ Romanæ cum dimidio alterius julii similis super fructibus parochialis ecclesiæ de Pouza Foles Egitaniensis diœcesis favore episcopalis seminarii dictæ diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Joseph Antonius episcopus Egitaniensis, quod alias bonæ memoriæ Hieronymus, dum vixit, episcopus Egitaniensis immediatus prædecessor suus, quo episcopalis seminarii rei familiaris angustiis, quibus premebatur, aliquatenus consuleret, atque de alicujus subventionis auxilio provideret, eidem seminario, ac pro eo rectori illius, seu administratoribus pro tempore existentibus, vel eorum legitimo procuratori unam annuam perpetuam pensionem ducatorum quinquaginta et septem auri de camera, et juliorum duorum monetæ Romanæ cum dimidio alterius julii similis super fructibus, redditibus, et proventibus parochialis ecclesiæ de Pouza Foles ejusdem Egitaniensis diœcesis in actu provisionis ejusdem parochialis ecclesiæ prævio consensu illius rectoris, seu parochi, ac reservato apostolico beneplacito, reservavit, constituit, et assignavit, prout in hisce desuper expeditis literis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Hieronymus episcopus supremum clauserit diem, nondum impetrato reservato apostolico beneplacito, ipse vero exponens, cum rei familiaris dicti episcopalis seminarii angustiæ urgentissimæ sint, parochialis vero ecclesia prædicta pluribus affluat bonis, ac redditibus, quo dictæ annuæ perpetuæ pensionis reservatio, constitutio, et assignatio ad suum adducatur effectum, ac firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicæ Nostræ auctoritatis beneplacito per Nos communiri summopere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur memorati Josephi Antonii episcopi votis quantum cum Domino possumus annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac episcopalis seminarii hujusmodi rectorem, seu illius administratores pro tempore existentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, reservationem, constitutionem, et assignationem dictæ perpetuæ annuæ pensionis ducatorum quinquaginta et septem auri de camera, et juliorum duorum monetæ Romanæ cum dimidio alterius julii similis super fructibus, redditibus, ac proventibus dictæ parochialis ecclesiæ de Pouza Foles, et pro eo illius rectori, seu administratoribus a memorato Hieronymo episcopo, ut præfertur, factas, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus: quocirca ejusdem episcopalis seminarii rectori, vel illius administratoribus pro tempore existentibus, ut ipsi per se, vel suum legitimum procuratorem perpetuam annuam pensionem hujusmodi percipere, exigere, et levare, atque in ejusdem episcopalis se-

minarii usus, et utilitatem erogare, et convertere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto rectori, seu administratoribus pro tempore existentibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit dictæ parochialis ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die decima tertia martii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXXXIII.

Dat. die 20 martii 1798 anno XXIV.

Conventus civitatis Panormitanæ ordinis sancti Francisci de Paula erigitur in conventum novitiatus.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius provincialis provinciæ Panormitanæ fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, quod cum alias conventus sanctæ Mariæ de Victoria civitatis Panormitanæ ordinis prædicti fuerit in conventum strictioris observantiæ vulgo ritiro ad formam constitutionis Innocentianæ constitutus, eumdem in novitiatus etiam conventum per Nos erigi ipse summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, conventum prædictum in conventum novitiatus, ita ut in posterum in eo clerici, seu choristæ, ac laici, seu conversi ad habitum probationis recipi, et absoluto tempore novitiatus per constitutiones, et statuta ejusdem ordinis præfixo ad regularem professionem admitti libere, ac licite possint, et valeant, ac professio hujusmodi inibi emissa, servatis tamen omnibus, et singulis per apostolicas, et ordinis prædicti constitutiones, et statuta præscriptis, in omnibus, et per omnia valida sit, et censeatur, auctoritate apostolica tenore præsentium erigimus, atque constituimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et de-

legatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die vicesima martii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCXXXIV.

Dat. die 20 martii 1798 anno XXIV.

Instantibus rectore, seu superioribus collegii Angli civitatis Lisbonensis privilegia, quæ alias a felicis recordationis Gregorio XV. et Urbano VIII. alumnis dicti collegii concessa fuerunt extenduntur ad alios juvenes Anglos, qui in eodem collegio educationis, et studiorum causa pro tempore commorabuntur, licet consuetum missionum juramentum non emittant.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii rector, et superiores collegii Angli sanctorum apostolorum Petri, et Pauli civitatis Lisbonensis, quod alias felicis recordationis Gregorius pp. XV. et Urbanus pp. VIII. prædecessores Nostri per suas in simili forma Brevis die vicesima secunda septembris anni millesimi sexcentesimi vicesimi secundi, et die decimaquarta octobris millesimi sexcentesimi vicesimi septimi respective expeditas literas omnia, et singula privilegia, gratias, et indulta, quæ alias a felicis recordationis Gregorio pp. XIII. prædecessore itidem Nostro collegio Anglicano de urbe fuerunt concessa ad alumnos dicti collegii Angli Lisbonensis auctoritate apostolica extenderunt, atque ampliarunt, prout in memoratis apostolicis literis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præter alumnos Anglos dicti collegii, qui juramentum missionum juxta ejusdem collegii apostolicas constitutiones, et statuta præstare tenentur, alii etiam juvenes Angli in eodem collegio excipiantur, qui licet juramentum hujusmodi non emittant, tamen sperari potest fore, ut quam maxime eisdem missionibus sint; hinc memorati exponentes ad hosce juvenes Anglos memorata privilegia, gratias, et indulta per Nos ampliari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas, quorum interest a quibusvis excommunicationis, suspensio-

nis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, et singula privilegia, gratias, et indulta, ut præfertur, a memoratis Gregorio, et Urbano prædecessoribus Nostris alumnis dicti collegii Angli sanctorum apostolorum Petri, et Pauli civitatis Lisbonensis concessa, ad alios etiam juvenes Anglos tantum, qui non præstito solito missionum juramento in eodem collegio educationis, ac studiorum causa commorantur, vel pro tempore commorabuntur auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die vicesima martii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXXXV.

Dat. die 27 martii 1798 anno XXIV.

**Indulgetur fratribus ordinis Prædicatorum conventus Landishuti Frisigensis diœcesis, ut paræciam de Oberglaim dictæ diœcesis in administrationem retinere valeant.**

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres ordinis Prædicatorum conventus Landishuti Frisingensis diœcesis in Bavaria, quod conventus prædictus ob sibi denegatos plurimis ab hinc annis a statu provinciali fructus cujusdam census ad summas rei familiaris angustias redactus est, quapropter dilectissimus in Christo filius Noster dux Bavariæ sacri Romani imperii princeps elector fratres, et conventum hujusmodi quo illum aliqua in parte sublevaret, conventum, seu fratres prædictos ad parochiam Oberglaim Frisingensis diœcesis episcopo Frisingensi præsentavit, et nominavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti commodo, et effectu præsentationis, seu nominationis hujusmodi sine speciali Nostra, et sanctæ Sedis dispensatione, seu indulto uti nequeant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem exponentibus, ut ipsi, seu unus, aut alter illorum, servatis juxta canonum, et præsertim Tridentini concilii dispositionibus alias servandis, dictam parochialem ecclesiam

de Oberglaim, vel etiam ea dimissa, aliam, ad quam canonice electi, aut nominati, ac præsentati pro tempore fuerint in administrationem consequi, et obtinere, illarumque fructus, redditus, ac proventus in suos, ac conventus prædicti usûs, et utilitatem convertere libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, ac cum eis desuper de speciali dono gratiæ opportune dispensamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit ordinis, et conventus prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die vicesima septima martii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

MCXXXVI.

Dat. die 10 aprilis 1798 anno XXIV.

Declaratio literarum apostolicarum alias super approbatione statutorum ordinis fratrum B. M. V. de monte Carmelo expeditarum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inter multas tribulationes, quæ in hisce difficillimis reipublicæ christianæ temporibus invenerunt Nos nimis ex debito pastoralis officii humilitati Nostræ ex alto commissi ad ea quoque providentiæ Nostræ intuitum convertere tenemur, unde ea omnia tollantur inter christifideles, qui Deo in religione propius famulari satagunt, ex quibus, et contentiones, et animorum dissidia, vel etiam fidelium scandala non sine gravi regularis disciplinæ detrimento facile exurgere possunt, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Memoratur vetus concessio.

§. 2. Nos alias ad preces dilectorum filiorum fratrum Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispanæ nova statuta, et constitutiones ordinis, ac congregationis prædictorum, quæ ipsi in particulari congregatione vigore Nostrarum apostolicarum literarum habita exararunt, quo firmius subsisterent atque exactius servarentur, auctoritate Nostra apostolica confirmavimus, prout in Nostris hisce desuper sub die decima quarta martii anni millesimi septingentesimi octuagesimi sexti expeditis literis uberius continetur. Priusquam tamen ea fuerint, ut præfertur, a Nobis confirmata, ut in re tanti momenti debita consideratione ageretur, illorum examinatio bo: me: Gregorio dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali Salviati remisimus, de cuius consilio aliqua in eisdem constitutionibus, ac statutis moderavimus, aliqua penitus cassavimus: inter ea autem, quorum rigorem moderare censuimus, fuit præceptum formale abstinentiæ ab æsu carnium extra conventum: siquidem in antiquioribus constitutionibus hujusmodi præceptum semper excepto casu infirmitatis aut debilitatis tantum, urgebat omnes: novis vero constitutionibus addi voluimus, ut præter causam infirmitatis, et debilitatis ob alias etiam causas, quæ juste a superioribus domorum in singulis casibus reputatæ fuissent, carnibus fratres prædicti vesci pos-

sent: quamobrem novæ constitutiones sic se habent: Præcipimus in virtute Spiritus Sancti omnibus, et singulis fratribus, ne extra conventum carnes comedant nisi licentiam a suis prælatis habeant in scriptis, quorum conscientiam oneramus ne nimis faciles sint in hujusmodi facultatibus tribuendis, nisi præter infirmitatem, aut debilitatem, aliasve justas ob causas, alioquin subjaceant pœnæ gravibus culpis statutæ secundum formam regulæ, et constitutionum.

Ratio edendæ declarationis.

§. 3. Cum autem sicut nuper accepimus discussio facta sit inter prælatos in capitulo generali congregatos, ac difficultas exagitata in definiendis causis prædictis: nec omnes verborum sensum æqualiter assequantur, sed unusquisque pro suo captu, verba illa interpretet, unde non raro evenit, ut in eadem mensa assidentes ejusdem ordinis, et congregationis fratres diversorum tamen conventuum alumni uni iis cibis utantur, qui aliis prohibiti sunt, quod non sine fidelium scandalo permitti longius potest:

Tenor declarationis.

§. 4. Nos hinc pro paterna charitate, qua ordinem, et congregationem prædictam sincere in Domino complectimur præcepti hujusmodi difficultati attendentes dum fratres extra domos suorum conventuum peregrinantur, ac illorum conscientiæ quieti, ac tranquillitati consulere volentes, ac memoratas Nostras literas pro plene ac sufficienter expressis insertas habentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine harum serie statuimus, ac mandamus, ut in posterum fratres ordinis, et congregationis, prædictorum a præcepto prædicto absolventes, dum extra domos seu congregationis, et ordinis comedunt, carnibus vesci atque uti non secus, ac cæteri fideles libere, ac licite possint, et valeant statuimus, concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri, debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis, et congregationis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

Dat. die 10 aprilis 1798 anno XXIV.

## MCXXXVII.

Confirmatio encyclicæ a priore generali fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo excalceat. congregationis Hispanæ factæ ad moderandum indefinitivum confessariorum extraordinariorum usum.

### Pius PP. VI.

**Ad futuram rei memoriam.**

Proemium. §. 1. Inter cœtera, quæ ex pastoralis officii debito humilitati Nostræ in universa Ecclesia ex alto commissi Nobis incumbunt, illud quoque grave est, ut sanctimonialium statui ita consulamus, ut quantum in Nobis est, omne removeatur impedimentum, quominus ipsæ, quæ mundana desideria abnegarunt, quæque oleum charitatis secum portant, tamquam virgines prudentes ad æterni sponsi nuptias, eo pulsante introducantur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Regibus prior generalis ordinis fratrum beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispanæ, quod cum per constitutiones sanctimonialium ordinis, et congregationis prædictorum, quæ sub jurisdictione ac regimine eorumdem fratrum reperiuntur, auctoritate apostolica approbatas sub numero septimo, et octavo capituli noni partis secundæ eisdem monialibus; ut peccata sua quibusvis confessoribus extraordinariis, et quotiescumque eis per annum libuerit, confiteri libere, ac licite possint, et valeant concedatur, atque ex facultate hujusmodi plura, atque gravia in regularis disciplinæ detrimentum proficiscantur incommoda, quæ in dies augentur, nisi firmum, ac promptum adhibeatur remedium, ne succrescentia scandala majores figant radices. Quo circa memoratus Antonius prior generalis, suum definitorium præ oculis habentes tum eadem mala, tum dispositiones a Tridentino concilio in sessione vicesima quinta cap. decimo de regularibus et Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris, ac signanter fel: rec: Benedicto pp. XIV. prædecessore itidem Nostro in constit. quæ incipit = *Pastoralis curæ* = hisce desuper emanatas censuerunt inter cætera novam methodum esse præscribendam per encyclicam epistolam tenoris, qui sequitur.

§. 3. Che li provinciali, ad effetto, che mai manchi alle monache copia di confessori estranei, debbano assegnare nelle città grandi, e capitali sei soggetti gravi fuori dell' ordine, e tre almeno di questi del clero secolare: nelle città poi, e popolazioni men grandi quattro confessori simili, e due di essi del clero secolare: e che una tale individuazione di soggetti venga manifestata alle respettive priore, e queste la facciano palese alle loro comunità, onde restino intese le monache della copia de' confessori loro assegnati; e le superiore, quando sappiano di mancare, o per morte, o per altro caso alcuno de' suddetti confessori, debbano dare pronto avviso ai provinciali per rimpiazzare il numero, a segno che questo sempre abbia da essere pieno: e alla religiosa, che abbia bisogno di trattare, o confessarsi con confessore estraneo, sia in libertà di farlo con qualunque di questi designati non solo in due, o tre volte all' anno, conforme dispongono il sacro concilio Tridentino, e la costituzione Benedettina, ma anche una volta al mese avendo giustificata necessità. Tenor encyclicæ.

§. 4. Che alla religiosa inferma abitualmente, che volesse il confessore straordinario, si debba dare per una volta al mese, e quando detto confessore avesse da entrare in clausura, dovesse sempre essere accompagnato da un religioso dell' ordine, che abbia le qualità ricercate dalla costituzione per confessore ordinario, con precetto, e severa proibizione a tutte le monache le quali per cagione dei confessori ordinarj, o straordinarj per spirito di partito si disgustassero con reciproche invettive, e satire piccanti, tanto quelle, che preferiscono li confessori dell' ordine agli estranei, quanto le altre che al contrario si avvalgono degli estranei confessori, di non ardire ad ingiuriarsi, nè direttamente, nè indirettamente, sotto pena alle superiore di privazione di officio, e alle suddite di voce attiva e passiva per sei mesi, estensiva la stessa pena contro quelle, che maltrattassero, o ingiuriassero li confessori estranei, che nel modo di sopra espresso concorressero ai monasterj, per esercitare tale officio di carità. Sequitur ut supra.

§. 5. Che per diritto appartenendo ai provinciali di assegnare come sopra li confessori estranei, ad effetto, che le religiose restino sempre provvedute Idem ut supra

abbondantemente di simil rimedio, e con la competente libertà per la guida delle loro coscienze non debba mai la religiosa particolare eleggere di suo arbitrio, e capriccio il confessore estraneo, con cui abbia da trattare fuori delli designati, ma quando per caso raro, che quasi è impossibile a succedere, a fronte delle suddette tanto ampie providenze stabilite, vi concorressero giustificati motivi in una particolare religiosa di chiedere il confessore estraneo, fuori di quei assegnati, gli si debba accordare, purchè abbia simile confessore le qualità espressate.

Conclusio encyclicæ.

§. 6. E finalmente, che, dopo il disposto di sopra, avendo qualche religiosa giustificati motivi di querela, o contro li provinciali, o contro le superiore, o contro alcun altra persona in particolare, per aver tentato di impedirgli ingiustamente l' uso di santa libertà di confessori, debba sempre fare il ricorso immediatamente al padre generale dell' ordine con avvertenza, per evitare ogni dolo, e far vedere di esser tutto giustificato, che detto ricorso abbia da essere firmato da altre due religiose le più gravi della comunità, e non possa mai far ricorso ai tribunali fuori dell'ordine, senza esibire la providenza originale, che per esso ricorso avesse interposto il riferito padre generale, e senza di essere insieme autorizzato con la firma delle due religiose le più gravi delle comunità; tutto a fine, che per tali cautele venga evitato ogni ricorso vizioso, insussistente, e clandestino.

Confirmatio apostolica.

§. 7. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo nova hæc methodus firmius subsistat, et servetur exactius apostolicæ auctoritatis patrocinio communiri memoratus Antonius prior generalis, ac definitorium prædictum summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertam methodum ut pote continentem spiritum constitutionum ordinis, et congregationis prædictorum, ac ad firmiter præcidenda incommoda, quæ ex nimis ampla facultate per constitutiones præfatas dictis monialibus concessa ponebantur, tendentem, ita tamen ut moniales prædictæ designatis confessoribus extraordinariis non semel in mense, sed quoties eis libuerit uti possint, utque ipsæ tum ad priorem generalem, tum ad tribunalia ecclesiastica extra ordinem, et congregationem prædictam instituta, non servatis præscriptis in præinserta methodo cauthelis, ac conditionibus recurrere libere, ac licite possint, et valeant, in reliquis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et adprobamus, illique apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit ettentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monialium, ordinis, et congregationis prædictorum, ac memorato capitulo nono, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene,

et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis die decima aprilis, sub annulo piscatoris anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXXXVIII.

Dat. die 10 aprilis 1798 anno XXIV.

Indulgetur missionariis collegii apostolici de Guadalupe Guadalaxariensis diœcesis, ut in eorum ecclesia missa votiva de beata Maria virgine celebrari possit quotannis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii missionarii collegii apostolici ordinis Seraphici titulo beatæ Mariæ virginis de Guadalupe nuncupatæ de Guadalaxeriensi dioecesi Nobis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga eamdem beatissimam virginem præseferunt affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio Vincentio Benucci sacrorum Rituum congregationis pro secretario, ut in posterum in die duodecima cujuslibet mensis in eorum ecclesia una missa votiva solemnis propria de eadem beata Maria virgine, dummodo non occurrant festa dupl. primæ, vel secundæ classis, nec non feriæ privilegiatæ, celebrari possit, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXXXIX.

Dat. die 10 aprilis 1798 anno XXIV.

Indulgetur monialibus reformatis ordinis sancti Augustini civitatis Pampilonensis, ut in feria vi. post octavam corporis Christi officium cordis Jesu recitare possint.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectæ in Christo filiæ abbatissa seu priorissa, et moniales reformatæ ordinis sancti Augustini civitatis Pampilonensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsæ pro ea, qua in passionem Dominicam afficiuntur devotione, passionis ejusdem venerationem in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei

gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito dilecto filio Vincentio Benucci sacrorum Rituum congregationis pro secretario, ut in posterum recitare quotannis in feria sexta post octavam solemnitatis sanctissimi corporis Christi ritu dupl. maj. officium sacratissimi cordis Jesu, jam approbatum pro regnis Portugalliæ, et Algarbiorum possint, addita etiam facultate sacerdotibus omnibus eodem die ad sacrificandum convenientibus in earumdem ecclesiam celebrandi missam dicto officio conformem auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCXL.

Dat. die 17 aprilis 1798. anno XXIV.

Extentio literarum apostolicarum die quarta augusti MDCCXCVII. quibus consulatus, et Hispani Tuneti commorantes jurisdictioni cappellani majoris exercituum regis catholici subjecti fuere.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum. §. 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod Nos alias, ut discordiæ, et dissentiones firmiter dirimerentur, quæ inter suos consules generales, seu alios suos administros ex una, et missionarios congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium de Propaganda Fide subjectos Tuneti commorantes ex altera parte, de ac super jurisdictione spirituali quoad suos subditos Hispanos non raro extabant, precibus ejusdem Caroli regis catholici Nobis tunc humiliter porrectis inclinati, omnes subditos Hispanos cum suis familiis Tuneti commorantes, vel illuc pro tempore adventantes omnimodæ jurisdictioni spirituali, et auctoritati cappellani majoris exercituum regis catholici, seu ejus delegatorum subjecimus, prout in Nostris hisce desuper in simili forma Brevis die iv. augusti MDCCXCVII. expeditis literis uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat hoc remedium satis non fuerit, ut omnia præciderentur incommoda, quæ compescere intendimus, quippe quia novæ turbæ inter eosdem missionarios ex una, et hospitale fratrum ordinis sanctissimæ Trinitatis Hispanorum, non solum domui consulari adnexum, atque unitum, sed etiam protectioni regum catholicorum obnoxium, ex altera itidem parte excitentur; quapropter memoratus Carolus rex catholicus cappellam consularem in dicto hospitali fratrum prædictorum erigere intendat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur eumdem Carolum regem catholicum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque, quorum interest, personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliis-

que ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas Nostras apostolicas literas, quarum tenorem per præsentes satis, et sufficienter expressum, atque insertum habemus, non solum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et adprobamus; verum etiam illarum dispositionem quoad præmissa, prævia ejusdem hospitalis a quacumque spirituali jurisdictione, et auctoritate, cuiusque adhuc obedivit, dismembratione, ad dictum hospitale fratrum sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum nuncupatorum auctoritate, et tenore prædictis extendimus, et ampliamus, itaut tum hospitale, tum domus, et officium consulatus, cæterique subditi Hispani ad formam memorati Nostri indulti uni jurisdictioni, et auctoritati spirituali cappellani majoris exercituum regis catholici, et ejus delegatorum imposterum subjecti sint, dicta auctoritate mandamus, statuimus, atque declaramus.

Clausulæ salutares et irritantes.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper, et perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis legitima, et juridica, etiam ex eo, quod in præmissis omnibus, et singulis, et circa ea quomodolibet, vel ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione, jus vel interesse habentes, seu habere prætendentes cujuscumque dignitatis, gradus, et præeminentiæ sint, illis non consenserint, aut ad id vocati, et auditi, et causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque colore, prætextu, ratione vel causa etiam in capite juris clausa, occasione, aliave causa quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, vel quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, nec alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio concesso, vel impetrato, ac emanato uti, seu se juvare in judicio et extra illud posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem apostolicam, etiam motu proprio, certa scientia, et apostolicæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter; et ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiamsi de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat pro tempore factis, et concessis, ac faciendis, et concedendis comprehendi, sed tamquam ad majus bonum tendentes semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, et fore.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, ac Sedis apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitu-

tionibus et ordinationibus, caeterisque, quæ in memoratis Nostris literis obstare non voluimus. Datum Senis sub annulo piscatoris die decima septima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXLI.

Dat. die 24 aprilis 1798 anno XXIV.

Unio perpetua canonicatus, seu præbendæ primo vacaturæ metropolitanæ ecclesiæ Compostellanæ regiæ cappellæ regis catholici, ut fructus in augmentum congruæ illius cappellani, et cleri erogentur.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, quod religioni, et æquitati convenire dignoscitur animo, Nos decet hoc libenter concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio preeum porrectarum ab Hispaniarum rege.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod cum dilecti filii capellani altaris, cæterique ecclesiastici, seu clerus suæ regiæ cappellæ congruam sibi assignatam minime habeant, neque huic defectui aliquo modo suppleri possit ex pensionibus super redditibus, ac proventibus aliquarum ex mensibus episcopalibus regni prædicti reservandis, quod jam tertia illarum fructuum, ac redditnum pars in alias æque graves causas applicata sunt: hinc memoratus Carolus rex catholicus, quo eorumdem cappellanorum, atque cleri congruæ sustentationi consulatur, prævia perpetua suppressione præbendæ, seu canonicatus metropolitanæ ecclesiæ Compostellanæ, qui primo erit vacaturus suos redditus, ac proventus quoscumque in augmentum dotationis, seu assignationis regiæ cappellæ prædictæ, seu potius illius cappellanorum, ac cleri per Nos perpetuo uniri, et assignari summopere desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum Carolum regem catholicum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac illorum singulares personas, quorum interest a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, nunc prout ex tunc, et e contra cum primum aliqua præbenda, seu canonicatus metropolitanæ ecclesiæ Compostellanæ per cessum, vel decessum, vel aliter quomodolibet vacaverit, etiamsi actu non vacet, ac tanto tempore non vacaverit, quod illius collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio juxta Lateranensis concilii statuta ad apostolicam Sedem legitime devoluta existat, ex nunc hanc præbendam, seu canonicatum, illiusque titulum collativum, itaut quoties præbenda, seu canonicatus hujusmodi vacaverit, collativus esse desinat, nec in titulum, vel commendam amplius impetrari, aut aliter de illo quomodolibet disponi queat, et si in titulum, commendam, aut aliter de illo disponi contigerit, collatio, commenda, et quævis alia dispositio de illo quovis modo vacaturo, aut vacante etiam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, et Sedem apostolicam, vel illius de latere legatos cum quibusvis clausulis, et decretis tamquam contra mentem, et intentionem Nostras facta nulla, et invalida, nulliusque roboris, ac momenti existat, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuat, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo supprimimus, et extinguimus; fructus vero, redditus, proventus, ac jura quæcumque ad eamdem præbendam, seu canonicatum primo, ut præfertur, vacaturum quomodolibet pertinentia, et spectantia ex nunc prout ex tunc, cum primum scilicet præbenda, seu canonicatus hujusmodi vacaverit, regiæ cappellæ prædictæ, et in ejus locum dictis cappellano, et clero auctoritate, et tenore prædictis unimus, adnectimus, atque incorporamus, ac ex nunc præbendam, seu canonicatum prædictum eidem regiæ cappellæ unitum, adnexum, et incorporatum fore, et esse statuimus, atque decernimus: itaut statim, ac præbenda, seu canonicatus prædictus quovis modo vacaverit eidem regiæ cappellæ, et in ejus locum cappellanis, ac clero prædicto ad hoc ut fructuum, reddi-

tuum, proventuum, ac jurium quorumcumque dictæ præbendæ, ac canonicatus veram, realem, et actualem possessionem, vel quasi per se, seu potius per legitimum procuratorem a dictis cappellanis, ac clero deputandum propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam retinere, ac fructus, et redditus prædictos, supportatis tamen, si quæ erunt, omnibus ejusdem præbendæ, seu canonicatus annuis oneribus, percipere, exigere, et levare, ac in suos usus, et utilitatem convertere, ac distribuere libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ non fuerint, aut ex alia quavis quamtumlibet legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quamtumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, nullatenus posse, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, ac cancellariæ apostolicæ regulis unionem effectum suum non sortitarum revocatoriis a Nobis, et successoribus Nostris emanatis, et emanandis comprehendi, vel confundi, sed tamquam pro dotis regiæ cappellæ prædictæ, ac divini cultus augmento factas semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie redintegratas esse, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

In contrariorum facientibus derogatur.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit fel. rec. Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de exprimendo vero annuo valore beneficiorum ecclesiasticorum in unionibus, deque illis committendis ad partes, vocatis, quorum interest, ac Lateranensis, et aliorum etiam generalium conciliorum uniones perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentium, aliisque in synodalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiæ, et capituli Compostellani etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die vicesima quarta aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCXLII

Dat. die 30 aprilis 1798 anno XXIV.

Indulgetur monialibus Cisterciensium monasterii s. Clementis civitatis Hispalensis, ut ritus officii sac: Cordis Jesu a dup: mai: ad dupl. secundæ classis elevari possit.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectæ in Christo filiæ abbatissa, seu priorissa, et moniales ordinis Cisterciensis asceterii sancti Clementis Hispalensis civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsæ pro ea, qua in Dominicam passionem afficiuntur devotione, ejusdem memoriam in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito, etiam dilecto filio Vincentio Benucci sacrorum Rituum congregationis pro-secretario, ut in posterum ritum officii, quod jam in eodem asceterio recitatur in honorem sacratissimi Cordis Jesu a dupl. mai. ad dupl. secundæ classis pro dictis monialibus elevari possit auctoritate apostolica, tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

## MCXLIII.

Dat. die 5 junii 1798 anno XXIV.

Ut in provincia utriusque Castellæ ordinis s. Francisci de Paula superiores locales ad triennium eligantur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni provincialis, definitorium provinciale, et capitulum fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum provinciæ utriusque Castellæ, quod in statutis, et constitutionibus ordinis, et provinciæ prædictorum auctoritate apostolica confirmatis illud inter alia præscriptum reperitur, ut omnes locales superiores per unius anni spatium tantum suo munere fungi debeant, quo elapso ad novam præsidum electionem devenire oporteat. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ex hac tam frequenti superiorum mutatione multa dictæ provinciæ conventibus incommoda proveniant, ac pejora sint metuenda; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, eisdem exponentibus, ut in posterum incipiendo a primo capitulo provinciali, quod in ipsa provincia proximo mense septembris habebitur omnes, et singuli superiores locales in dicta provincia tantum ad triennium eligi, ac sic electi suis respective muneribus, seu officiis ad di-

ctum tempus fungi libere, et licite possint, et valeant facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes præsentes literas firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die quinta junii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCCXLIV.

Dat. die 21 julii 1798 anno XXIV.

Conceditur regi catholico, ut ad suppetias ferendas suo regio ærario in præsenti bello, decimas, fundos, proprietates, jura, et præeminentias ad magisteria quatuor ordinum militarium regnorum Hispaniarum vendere possit, assignatis tamen fundis ad adimplenda onera, quibus eadem magisteria gravantur.

Dilecto filio Nostro Antonio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali de Sentimanat nuncupato ex indulto, ac dispensatione apostolica patriarchæ Indiarum.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod quamvis ob difficillimum, ac diuturnum bellum, quod ipse terra marique in præsentiarum gerit, suum regium ærarium pene exhaustum sit, nullum tamen usque adhuc extraordinarium, ac speciale subsidium a militiis, seu militaribus ordinibus sancti Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, et sanctæ Mariæ de Montesa, quorum ipse perpetuus administrator auctoritate apostolica deputatus reperitur, exigit, etsi ordinum hujusmodi milites, ut asserit, quoties a regibus catholicis sint requisiti, ex illorum primævo instituto propriis sumptibus in ingruentibus bellis militare tenebantur, quoties magni magistri a regibus catholicis erant requisiti; ast cum nulla spes effulgeat, quamprimum tam sumptuosum bellum confectum iri, quamobrem in dies sui regii ærarii difficultates augeantur, ac duriores fiant, quo urgentissimis hisce necessitatibus facere possit satis, decimas, fundos, aliasque proprietates, jura, et præeminentias ad magna magisteria ordinum, seu militiarum hujusmodi vulgo Maestrazgos ordinum, seu militiarum hujusmodi spectantia alienandi ac distrahendi, assignatis tamen fundis necessariis ad omnia onera spiritualia, quibus dicta magna magisteria gravantur, adimplenda, opportunam licentiam per Nos tibi concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune

providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur omnibus rerum, ac temporum circumstantiis serio perpensis, supplicationibus hujusmodi inclinati, circumspectioni tuæ, de cujus fide, integritate, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, eidem Carolo regi catholico, ut ipse, assignatis prius fundis, qui ad adimplenda onera spiritualia, quibus magna magisteria eorumdem ordinum, seu militiarum gravantur, satis sint, decimas, fundos, aliasque proprietates, jura, et præeminentias ad magna magisteria prædicta quomodolibet spectantia, et pertinentia ab ullo censurarum, interdicti, aliarumque ecclesiasticarum pœnarum incursu vendere, ac alienare libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate Nostra apostolica concedendi, et indulgendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur, ac respective per præsentes committimus, ac mandamus.

Juris remedia tolluntur, quæ retardare possent executionem literarum.

§. 3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quod interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non fuerint sive vocati, et auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem præmissis solemnitas, aut quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, et quovis alio prætextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, aut se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non eorumdem ordinum, seu militiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud monasterium ordinis monachorum Carthusiensium extra moenia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die vicesima prima julii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

Dat. die 30 julii 1798 anno XXIV.

## MCXLV.

Separatio latifundii la Florida nuncupati a jurisdictione archiepiscopi Toletani, et parochi sancti Martini ejusdem civitatis, ejusque subjectio cappellano majori regis catholici.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod alias a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro ad preces claræ memoriæ Ferdinandi VI. dum vixit earumdem Hispaniarum regis catholici regiam suam cappellam in ecclesiam parochialem erexit, eique peculiare, ac separatum territorium assignavit, quam spirituali jurisdictioni cappellani majoris exercituum regum catholicorum pro tempore existentis subjectam perpetuis futuris temporibus esse voluit, prout in suis hisce desuper in simili forma Brevis die vicesima tertia junii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi tertii expeditis literis uberius continetur. Quoniam autem post earumdem literarum executionem plures sunt exortæ controversiæ, ac lites inter archiepiscopum Toletanum tunc in vivis degentem, cæterosque interesse habentes ex una, et cappellanum majorem prædictum ex altera parte, Nos ad preces claræ memoriæ Caroli III., dum vixit pariter Hispaniarum regis catholici omnibus perpensis, ac consideratis juribus tum ad dirimendas jam exortas, tum ad præcavendas controversias, quæ in posterum suscitari possent per Nostras in simili pariter forma Brevis die octava aprilis millesimi septingentesimi septuagesimi septimi expeditas literas, quædam confinia territorii eidem sic erectæ parochiali ecclesiæ assignati, nec non personas, ac loca, quæ eidem jurisdictioni forent subjecta præscripsimus, atque præfinivimus, prout in memoratis Nostris literis uberius pariter continetur.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Carolus rex novissime ad ampliandum, laxandumque suum latifundium loci la Florida nuncupati multos circumjectos agros mercatus sit, qui sub jurisdictione spirituali parochialis ecclesiæ sancti Martini oppidi civitatis nuncupati Matriti Toletanæ diœcesis sunt: ipse vero eos cum universo latifundio prædicto, quod regio suo palatio Matritensi, ac memorato separato territorio cappellæ suæ regiæ adhæret, eidem cappellæ regiæ, ac patriachæ Indiarum, et cappellano majori prædicto pro tempore existenti per Nos subiici summopere desideret. Quamobrem cum abbati curato, ac communitati dictæ parochialis ecclesiæ sancti Martini, ne ex separatione, ac dismembratione hujusmodi, quam postulat, aliquod illis inferatur incommodum, pro decimis, aliisque juribus, quæ parochialis ecclesia infra ejusdem latifundii ambitum, nec non a domo magna del Duande percipiebat, atque exigebat, jam triginta et unum vulgo *faneghe* terreni jam assignaverit, immo a die usque decima octava augusti anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi in ejusdem terreni possessionem abbatem, et communitatem prædictam miserit, atque intra ambitum ejusdem latifundii publicam satis amplam ecclesiam, ut in ea e deputandis ecclesiasticis ministris cura animarum illuc habitantium geratur, e fundamentis construxerit, immo ut in posterum quoque aptum inibi construatur cœmeterium, utque sacerdotum exhibitioni, quot ad curam animarum erunt necessarii, congruenter consulatur, et eadem ecclesia decenti sacra supellectili ditetur, illiusque conservationi opportune prospiciatur, pro sua pietate, ac religione omnibus modis intendat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Dismembratio latifundii, ejusque descriptio

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Caroli votis, quantum cum Domino possumus annuere, eumque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum latifundium, ejusque circuitum, et ambitum, et quidquid de pleno regio dominio intra se complectitur, nempe habitatio de Moncloa, hortus erbarius, hortus comitis Noblexas, hortus Marcelli Laurel, habitationes hortorum communitatis sancti Hieronymi, vetus bubile, antiqua officia revisoria portæ sancti Vincentii, duæ domusculæ hortorum majoratus de Romanillos, habitatio hortus fodinarum, habitatio laterariæ Joannis Blesa, hortus Jacobi Almedilla supra conventum sancti Bernardini, magna rustica domus della Gransilla nuncupata communitatis sancti Hieronymi, nec non dicta

domus magna nuncupata del Duande, suusque ambitus, qui in Matritum, et portam sancti Bernardini intra seminarium, et domus ducis de Leria e conspectu regiæ possessionis porrigitur, cæteræque habitationes, quæ intra septum ejusdem latifundii in posterum contruentur, juxta limites, ac confinia infra exprimenda, nec non clerum, ac populum infra eosdem limites commorantes, qui ante sub ordinaria jurisdictione spirituali tum archiepiscopi Toletani, tum dictæ ecclesiæ parochialis sancti Martini ejusdem Toletanæ diœcesis erant ab omni archiepiscopi Toletani, ac parochi sancti Martini jurisdictione penitus apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo dismembramus, segregamus, separamus, ac dividimus, ac ab omni archiepiscopi Toletani, et parochi prædicti superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, correctione, et quibusvis aliis juribus ecclesiarum Toletanæ, et sancti Martini prædictarum etiam decimas quascumque, et proventus, aliaque jura persolvendi omnino, ac perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

Subjectio illius jurisdictioni cappellani majoris.

§. 4. Eoque, ut præfertur, dismembrato latifundium prædictum juxta exprimenda confinia, et limites cum omnibus, et singulis habitationibus, et possessionibus jam supra expressis, nec non modernum clerum, et populum infra eosdem limites nunc, et pro tempore degentem cappellæ regiæ, ac patriarchæ Indiarum cappellano majori exercituum regum catholicorum nunc et pro tempore existenti, et illius ordinariæ jurisdictioni, auctoritati, et potestati, collationi quoque, ac visitationi, et correctioni, nec non quibusvis omnibus, et singulis actibus, qui quasi episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua quilibet dioecesi de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet agere, facere, et quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibuscumque juribus, decimis, et proventibus ex eodem latifundio, ejusque possessionibus, et habitationibus ab antedictis archiepiscopo Toletano, et parocho sancti Martini hactenus percipi solitis, assignamus, subiicimus, subponimus, et plenarie concedimus: dictisque clero et populo, ut ipsi moderno, et pro tempore existenti patriarchæ Indiarum, et cappellano majori prædicto tamquam proprio earum ordinario in omnibus pareant, et obediant, præcipimus pariter, et mandamus; confinia porro sic dismembrati, ac separati latifundii hæc sunt.

Descriptio confiniorum latifundii.

§. 5. Exordiuntur illa ab angulo laterariarum de Blesa, ac parietis magni, quo nova dividuntur, atque amplectuntur stativa, atque totam viam sancti Vincentii, Prato novo nuncupat. juxta septum usque ad portam novam præcipui ingressus oppidi civitatis nuncupati progrediuntur: deinde ab exitu ejusdem portæ sequitur linea limitanea, quæ continenter ad dexteram pergens omnem ambulationem juxta flumen la Florida nuncupatum amplectitur, atque usque ad mediam lineam viæ regiæ del Pardo procurrit, ac ab eadem parte, quæ occasum spectat, et a termino prædicto, et hortu ducissæ de Alba linea prædicta oblique, ac in septentrionem flectens totum montem, et pratum de Cantarranas usque ad laterariam ejusdem ducissæ de Alba ascendit postea in orientem vergens ab ora vallis de Amaniel perpetuo usque ad primum angulum conventus fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia excalceatorum nuncupatorum; et hortus ducis de Granata pergit, qui quidem conventus quasi centrum totius lineæ constituitur: a secundo porro angulo dicti conventus eadem linea jugiter continuans ad portam ingressus dicti oppidi civitatis nuncupati Matriti sancti Bernardini dictum Matritum pervadens ad novam usque viam, quæ nunc in nova Matriti regione contra domum, seu palatium ducis de Liria construitur, ab eadem via progreditur austrum prospiciens usque ad angulum dictæ parietis magni laterariarum de Blesa, et novorum stativorum, a quibus eadem linea, ac confinia, ut præmittitur, exorsa sunt.

Dotatio parochiæ et assignatio reddituum illius.

§. 6. Quo autem parochia in ecclesia intra limites dicti latifundii la Florida, ut præmittitur, constructa in posterum erigenda congruis dotetur redditibus, cæterisque ministris ad curam animarum inibi gerendam necessariis, nec non ornatui, ac conservationi ejusdem ecclesiæ decenter prospiciatur, hoc pietati, ac religioni ejusdem Caroli regis catholici permittimus, ut prævia Nostra ac apostolicæ Sedis concessione, atque indulto modis omnibus studeat hisce consulere, aut alia bona ecclesiastica illi assignando, aut aliquam annuam pensionem super fructibus mensarum archiepiscopalium, aut episcopalium regni Hispaniarum de suo jurepatronatus reservando, et constituendo.

Clausulæ salutares et irritantes.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, ac dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in præmissis forsan jus vel interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut exalia quacumque quantumvis juridica, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, et quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, et ex certa scientia, et potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas, ac in eis contenta semper, et perpetuo firma et valida, et efficacia existere, ac fore suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, et inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quatenus opus sit Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac dictarum metropolitanæ Toletanæ, ac parochialis ecclesiarum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die trigesima julii millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCXLVI.

Dat die 11 septembris 1798 anno XXIII.

**Indultum ut præfatio propria die festo in octava, ac in missis votivis sancti Philippi Nerii in ecclesiis tantum congregationis Oratorii ejusdem sancti Philippi recitari possit.**

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri sæculares congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Limanæ, nomine etiam aliarum congregationum regni Peruviani, quod ipsi ad promovendum in eumdem sanctum Philippum Nerium suum institutorem cultum, ac venerationem, ut missa ejusdem sancti Philippi pro festo, et ejus octava, nec non in quibusvis missis votivis ipsius sancti, quæ celebrari solent intra, et extra præfatas congregationes præfatio propria recitari possit tenoris, qui sequitur » Vere » dignum, et justum est, æquum, et » salutare nos tibi semper, et ubique gra- » tias agere, domine sancte Pater omni- » potens æterne Deus, qui beatum Phi- » lippum gratiæ tuæ muneribus reple- » tum amoris igne æstuare fecisti. Qua » ineffabili charitate inflammatus novam » ad animarum lucrum congregationem » instituit, et quæ aliis dedit salutis mo- » nita, operum exhibitione complevit. » Quæsumus ergo clementiam tuam, ut » illius nos festivitate lætifices, exemplo » piæ conversationis exerceas, verbo præ- » dicationis erudias, grataque tibi sup- » plicatione tueris: et ideo cum ange- » lis etc. = per Nos sibi concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur prædecessorum Nostrorum exempla, qui indulta hujusmodi ordinibus regularibus pro suis fundatoribus concesserunt, sectantes, eosdemque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, auditis prius dilectorum filiorum magistri Hieronymi Napolioni promotoris, nec non Aloisij Gardellini sub-promotoris fidei relationibus, supplicationibus hujusmodi inclinati, eisdem exponentibus, cæterisque congregationibus Oratorii hujusmodi intra regnum Peruvianum consistentibus, ut in omnibus missis die festo ejusdem sancti Philippi Nerii fundatoris, ac per ejus octavam, et in missis quoque votivis in ipsius honorem in qualibet tantum ecclesia congregationum Oratorii hujusmodi celebrandis præinserta præfatio libere, ac licite recitari possit auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra moenia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

Dat. die 24 septembris 1798 anno XXIV.

MCXLVII.

Confirmantur articula pro recta directione collegii missionariorum ordinis minorum sancti Francisci de abbatia in villa de Balthanas Palentinæ diœcesis erectæ.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proœmium.

§. 1. Decet Romanum pontificem ea quæ vel pro tuenda vel pro regulari disciplina si interdum ex misera rerum humanarum conditione alicubi collapsa est restituenda, scite ac prudenter disposita sunt quoties ad id postuletur, apostolicæ auctoritatis providentia confirmare, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii definitorium provinciale, et provincialis provinciæ sancti Pauli Castellæ veteris fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia excalceatorum nuncupatorum, quod inter cæteras conventus ordinis, et provinciæ prædictorum etiam auctoritate felicis recordationis Benedicti pp. XIII. prædecessoris Nostri collegium missionariorum ejusdem ordinis in villa, seu loco de Balthanas Palentinæ diœcesis erectum fuit, in quo jamdiu plures viguerunt optimi missionarii, qui per plures annos verbo, et opere vineam Domini sedulo atque utiliter coluerunt. Ast nuperrimis temporibus adeo pristino statu excidit, ut ex operariorum penuria episcoporum postulationibus vel minime fieri satis possit. Quamobrem exponentes prædicti quædam articula, seu decreta, quæ tum circa numerum alumnorum dicti collegii et officia, tum circa regularem observantiam, cum demum circa præmia, ac privilegia iis, qui laudabiliter suo munere functi sunt debita versantur, e re sua concinnare putarunt ex quibus futurum, ut collegium prædictum ad suum primævum splendorem restituatur, omnino confidunt. Articula vero seu decreta ab eodem definitorio edita tenoris sunt, qui sequitur.

Tenor decretorum De numero, et munere missionariorum.

§. 3. Quoad numerum igitur, et munia missionariorum statuitur, ut in præfato collegio viginti duo tantummodo sint missionarii, eorumque electio fiat a p. provinciali, qui ad ministerium apostolicum aptiores eligat, ejus desuper onerata conscientia; sique eligi poterunt statim ac a sua provincia in concionatores fuerint destinati, eoque munere per viginti quatuor, et non ultra annos sint perfuncti, nisi aliter singulares alicujus religiosi suadeant animi dotes; in hoc enim casu religiosus iste de judicio venerabilis definitorii poterit admitti. Pater autem provincialis, novis subinde advenientibus operariis dimittat antiquos, qui ob adversam valetudinem, impotentiam, et infirmitates actu ad missiones peragendas idonei amplius minime deprehendantur; ita ut in collegio nullus sacerdos ultra numerum missionariorum ut supra præfixum esse debeat; et in eo nec concionator conventualis, nec præsides, nec visitator sit, sed guardianus, consulto p. provinciali tres ex operariis, qui hisce perfungantur muneribus præfiniat, quin ex hoc præpediantur ad missiones peragendas, quoties eis a prælato præcipiatur. Ad guardiani autem munus alter ex missionariis erit omnino assumendus, et nemo ex illis derelicto collegio guardiani officium in altero ex provinciæ conventibus, quin annos sui apostolici ministerii expleverit sub pœna amissionis honorum ei competentium admittat. Inibi tamen sit commissarius a provinciali electus, et hic erit definitor actualis, sive habitualis, vel honorarius missionibus tamen addictus, cujus erit collationibus moralibus et catholicæ præesse, quæ sunt disputanda proponere dubia vel casus, qui occurrant definire ordinariorum, in quorum diœcesibus missiones habendæ sint, licentias, vel facultatem impetrare, de consensu patris guardiani, quos quotque in singulos annos ad missiones progredi debeant, præfiniri, et hanc præfixionem pro confirmatione in scriptis dare patri provinciali, constitutionum observantiam studiose curare, et missionariorum defunctorum scripta servare.

§. 4. Quo vero ad regularem missionariorum observantiam decernitur, ut cunctis omnino diebus, iis tantummodo exceptis, in quibus festum ab ecclesia, et religione sub ritu duplici primæ classis colitur, ac illo, in quo per hebdomadam animi relaxatio habebitur post completorium omnes missionarii quantumvis qualificati mentis orationi per horam vacent, ac silentium in singulis diei horis, et ubique in conventu exceptis temporibus quieti, et animi relaxationi destinatis inviolabiliter servetur. Per singulos vero dies, festis exceptis, post vesperas per

De observantia regularis missionariis præbenda.

horam moralis, ac in duobus per hebdomadam diebus a patre guardiano designandis per dimidium horæ de mane rethoricæ collatio respective habeatur. Sæcularibus autem interiorem conventus partem quovis prætextu adire denegatur præterquam si quis ecclesiasticus, vel sæcularis, ut spiritualibus exercitiis vacet collegium ipsum petere intendat; interdicitur vero religiosis ab illo egressu præterquam si ad quæstuandum, ad audiendas Christifidelium sacramentales confessiones, mortique proximis auxiliandum, benefactorum cadavera associanda, eorumque exequiis interessendum illinc egredi debeant, ea tamen sub lege, ut dum hisce ultimo dictis charitatis operibus in villa de Balthana intererint, nullam aliam præter illam in qua hujusmodi charitatis opus explendum est domum ingredi valeant, et in hisce casibus æque, ac dum prælatus villam potet, ut sui muneri expleat partes, socius ab unoquoque assumendus, missionarius minime sit, sed alter ex conversis. Demum missionarii, qui ex obedientia ad guardianiæ loca se conferant, oportet, negotio sibi commisso peracto, in collegium se recipiant, ita ut a nemine voluntaria extra illud permanentia etiam minima in eis deprehendatur.

De necessaria religiosorum substentatione

§. 5. Ut autem necessariæ religiosorum substentationi consulatur, poterunt missionarii in majoribus hebdomadis, et in dominicis conciones, ac orationes panegyricas in loco, et extra illum habere, nequeant autem aliquam aliam orationem panegyricam sine consensu patris provincialis, et universæ communitatis admittere, cæteris aliis secus admissis illico rejectis. Missionarii autem, qui ad missiones progrediuntur, extra conventum a mense octobris usque ad pascha Resurrectionis, quatenus in majori hebdomada conciones in religione, in qua reperiuntur habere debeant, et non ultra permanere debeant, ac in reliquis regularem observantiam respicientibus missionarii uti veri provinciæ filii quidquid in ea quod regularem observantiam hujusmodi sancitum est dummodo supradictis non adversertur, servent omnino et in missionibus pium viæ Crucis exercitium promovere, et calvarium in locis in quibus eas peragunt ad præscriptum Benedicti papæ XIV. curent collocare.

De præcedentiis, et præmiis missionariorum.

§. 6. Quoad præcedentias, levamina, et præmia missionariorum decernitur, ut missionarius, qui per decennium concionatoris munus expleverit locum immediatum post concionatorem conventualem, si per viginti annos post eum qui semel guardianus extitit, si per viginti et octo annos, post eum qui semel et iterum guardiani munus obivit: si tandem per triginta sex annos conciones habuerit post definitores canonice electos respective habeant in provincia. Missionarius autem, qui per viginti annos concionator fuerit, levaminibus, et exemptionibus, quæ a provincia ei qui semel guardianus extitit concessæ reperiuntur. Si autem munus prædicationis per viginti et octo annos obierit exemptionibus ab eadem provincia ei, qui semel, et iterum guardiani munus prosequutus est assignatis perfruatur. Qui vero triginta sex annorum curriculum in concionibus habendis consumpserit definitoribus honorariis æquiparetur, et cunctis levaminibus, honoribus, exemptionibus, et præeminentiis gaudebit, quibus definitores in capitulo electi excepta solummodo præcedentia hisce semper præstanda, quæ quidem præcedentia inter ipsos missionarios ab habitus susceptione servanda erit perfruatur.

De definitoribus nominandis.

§. 7. Si quis vero ex concionatoribus ad collegium designatus lectoris philosophiæ, et theologiæ munere pro qualibet facultate hujusmodi per triennium functus sit gradu definitoris honorarii cum omnibus præeminentiis anno ei conceditur. In singulis novenniis a capitulo proxime futuro computandis guardianus conventus de Balthanas in quartum definitorem omnino eligatur: curet hinc pater provincialis in guardianum illum eligere, qui definitura dignus sit, quin id impediat quominus in hoc proximo futuro capitulo, vel in quolibet alio ex successivis quilibet ex concionatoribus missionariis pro tempore existentibus in definitorem eligi queat. Ut autem missionarius omnibus hisce levaminibus, præeminentiis, et exemptionibus fruatur, saltem quolibet triennio nisi secus prælatus præceperit, ad missiones peragendas progredi aportet. Si quis vero ex missionariis ob infirmitatem, vel aliquam aliam causam quam justam a patre provinciali cognitam e collegio egrediatur levaminibus, et præeminentiis guadeat, quæ juxta prærecensitum ordinem annis quibus missionum munus expleverit respondeant. Si missionarius absoluto trigesimo sexto prædicationis anno, qui ad missionum exercitium adhuc aptus, et spiritualis animarum salutis zelo perculsus permane-

re vellet in collegio, et missiones prosequi id ei integrum erit; si vero inhabilis jam reperiatur, vel prosequi nequeat, collegium deserat oportet, et preces porrigat patri provinciali, ut conventum petenti benevisum ad inibi morandum assignet, et pater provincialis ei suffragari debebit ad hoc, ut ipse ab anteactis quiescat laboribus, et levaminibus, quibus mater provincia labores hujusmodi rependit perfrui valeat. Lectoribus autem vel concionatoribus deinceps dictum collegium ingressuris, uti etiam missionariis antiquis, qui uti ad missionum exercitium adhuc apti inibi moram trahunt, nec non missionariis, qui actu extra collegium reperiuntur, quosque pater provincialis uti idoneos, et aptos ad ferendum missionum opus ad collegium revocare existimet, hi omnes, et singuli honores, præeminentiæ, et exemptiones adjudicari debebunt; secus autem quoad missionarios antiquos, qui ob eorum fractam salutem, et infirmitates, et quam inhabiles ad missiones peragendas, a collegio, uti supra sancitum est, sunt dimittendi; hi enim in conventu, ubi de familia degent, levaminibus, et exemptionibus tantummodo perfruantur, quibus actu in conventu de Balthanas gaudent: qui quidem honores, præeminentiæ, et exemptiones cæteris missionariis antiquis actu extra collegium degentibus pariter denegantur. Tandem ut missionarii præfati in possessionem omnium horum honorum, ac exemptionum immittantur patentes literas a patre provinciali impetrare debebunt, qui eas denegare nequeat, quoties missionarius se per recensitos annos concionatoris munus exercuisse doceat.

Confirmatio apostolica.

§. 8. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo præinserta articula, seu decreta firmius subsistant, et serventur exactius memorati exponentes apostolicæ firmitatis patrocinio per Nos communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinserta articula, seu decreta, atque omnia in ea contenta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, atque omnes, et singulos juris et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Declaratio specialis.

§. 9. Volumus tamen, et harum serie decernimus, ut omnes facultates, quæ per eadem articula, seu decreta soli provinciali conceduntur, ipse iis uti non valeat nisi cum suo definitorio; sicuti pariter eidem provinciali ac definitorio auctoritatem eadem articula, seu decreta in rebus dubiis, atque in iis, quæ major collegii utilitas, atque profectus postulabit, glossandi, interpretandi, atque declarandi, prout in Domino arbitrabuntur, auctoritate et tenore præsentis reservamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, atque illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciæ, et collegii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmisso-

rum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ die vicesima quarta septembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

Dat. die 24 septembris 1798 anno XXIV.

## MCXLVIII.

Dismembratio quatuor villarum, seu locorum a diœcesi Turritana, ut tres diœcesi Algarensi, et una erigendæ diœcesi Bisarciensi uniantur.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Inter multas tribulationes, quæ in hisce difficillimis christianæ reipublicæ temporibus invenerunt Nos nimis, ex debito pastoralis officii humilitati Nostræ ex alto commissi ad ea quoque providentiæ Nostræ intuitum convertere tenemur, unde plurimum commodi catholicæ religioni proficisci speratur, præsertim cum ad id sublimorum principum preces accedant.

Expositio precum, et ratio decernendæ dismembrationis.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Emmanuelis Sardiniæ regis illustris expositum fuit, ad faciliorem, ac promptiorem dioecesis Turritanæ administrationem pertinere, quatenus vel nunc ea sede archiepiscopali vacante, et priusquam novus ei a Nobis archiepiscopus præficiatur, vel etiam sede plena, aliaque loca, seu villæ auctoritate apostolica per Nos divellantur, ut hæ vel diœcesi Algarensi, vel diœcesi Bisarciensi, in posterum, Deo dante, restituendæ, atque redintegrandæ, aut etiam aliis diœcesibus uniantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate adostolica dignaremur.

Dismembratio, et descriptio villarum dismembratarum.

§. 3. Nos igitur ipsius Caroli Emmanuelis votis quantum cum Domino possumus annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, quatuor villas, unam scilicet Semestene, alteram Uri, tertiam Olmedo, quartam d' Iteri Fustiarbus respective nuncupatas, earumque circuitus, et ambitus per integros earum limites, cum omnibus, et singulis parochialibus, aliisque ecclesiis, oratoriis, monasteriis, conventibus, ac hospitiis utriusque sexus regularium, piisque locis, quæ intra limites earumdem villarum existunt, nec non parochialium, et aliarum ecclesiarum prædictarum rectores, et quoscumque presbyteros, clerum omnem tum sæcularem, tum regularem, sanctimoniales, et populum universum infra eosdem limites commorantes, quæ, et qui antea Turritani archiepiscopi ordinariæ jurisdictioni subjecta, et subjecti erant, atque de ejus dioecesis fuerunt ab omni archiepiscopi Turritani jurisdictione, et ab illius dioecesi penitus auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo dismembramus, sejungimus, separamus, atque dividimus, ac ab archiespiscopi Turritani superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, correctione, et quibusvis aliis juribus metropolitanæ ecclesiæ Turritanæ, etiam decimas quascumque, et proventus, aliaque jura persolvendi omnino, perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

Tres villæ de Semestene, Uri, et Olmedo nuncupatæ uniuntur diœcesi Algarensi, quarta de Iteri unitur diœcesi Bisarciensi.

§. 4. Ex quibus quidem quatuor sic dismembratis villis, seu locis tres villas nempe, seu loca de Semestene, Uri et Olmedo diœcesi Algarensi, aliam videlicet de Iteri Fustiarbus erigendæ seu redintegrandæ dioecesi Bisarciensi, cum illorum circuitu, et ambitu per integros ipsorum limites, cum omnibus, et singulis parochialibus, aliisque ecclesiis, oratoriis, monasteriis, conventibus, ac hospitiis utriusque sexus regularium, piisque locis infra limites earumdem villarum, seu locorum, vel nunc, vel in futurum existentibus, modernos itidem, et pro tempore existentes, præfatarum quatuor villarum seu locorum parochialium, aliorumque ecclesiarum rectores, et quoscumque presbyteros, ac omnem clerum tum sæcularem, tum utriusque sexus regularem, populum inibi nunc, et pro tempore degentes, vel ecclesiæ Algarensis, illiusque pro tempore existenti episcopo Algarensi, vel de novo erigendæ, seu potius redintegrandæ ecclesiæ Bisarciensis juxta tenorem præsentium, ac illorum respective ordinariæ jurisdictioni, auctoritati, et potestati, visitationi quoque, et correctioni, nec non quibusvis omnibus,

et singulis actibus, qui episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua qualibet diœcesi de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet agere, facere, et quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibuscumque juribus, decimis, et proventibus, ex memoratis villis seu locis ab antedicto archiepiscopo Turritano hactenus percipi solitis etiam perpetuo assignamus, subjicimus, subponimus, et plenarie concedimus, dictisque parochialium, aliarumque ecclesiarum rectoribus, presbyteris, clericis, et incolis quibuscumque, ut pro tempore existenti episcopo Algarensi, seu in posterum designando episcopo Bisarciensi respective tamquam proprio ordinario in omnibus pareant, et obediant præcipimus pariter, et mandamus.

Consulitur temporaneo regimini villarum usque ad erectionem dioecesis Algarensis.

§. 5. Cum autem unio trium locorum seu villarum prædictarum statim perfici nequeat, ecclesiæ Algarensi, atque sedes episcopalis Bisarciensis nondum sit erecta, hinc ut in iisdem sic dismembratis quatuor villis, seu locis, earumque circuitu, et ambitu per integros ipsarum limites interim, et dum unio trium villarum, seu locorum prædictorum ecclesiæ Algarensis perficiatur, ac sedes episcopalis Bisarciensis erigatur, seu redintegretur, et ad Nostrum, et Sedis apostolicæ beneplacitum eidem præficiendo archiepiscopo Turritano omnimodam spiritualem jurisdictionem exercendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur. Mandamus, atque harum serie statuimus, ut quamvis ab archiepiscopo Turritano interim in memoratis quatuor sic dismembratis villis, seu locis jurisdictio spiritualis auctoritate Nostra apostolica exerceatur, nihilominus ab œconomo mensæ archiepiscopalis hujusmodi fructuum, redditruum, ac proventuum, qui ex quatuor villis prædictis quomodolibet percipiuntur, ratio separata, atque distincta habeatur, quo hinc mensis episcopalibus seu Algarensi, seu Bisarciensi respective suo tempore fructus, redditus, ac proventus prædicti attribuantur.

Consensus archiepiscopi Turritani repo scitur super decreta segregatione.

§. 6. Præterea cum eædem causæ, quæ fuerunt supra adductæ poscere possent, ut etiam in posterum, ac sede plena aliæ villæ, seu loca, et parœciæ ab eadem diœcesi Turritana separandæ, atque dismembrandæ sint: volumus propterea, ut archiepiscopus eidem metropolitanæ ecclesiæ Turritanæ præficiendus in actu possessionis metropolitanæ ecclesiæ hujusmodi suum præstet consensum ad hoc ut etiam sede plena omnes ecclesiarum parochialium, ac villarum, seu locorum eidem metropolitanæ ecclesiæ Turritanæ nunc subjectarum dismembrationes, ac separationes, et respective cum aliis diœcesibus uniones exequi cononice possint, quas Nos et apostolica Sedes juxta rerum, ac temporum vices christifidelium saluti, ac christianæ religionis augmento utiles fore conspexerimus. Nobis enim, ac Sedi apostolicæ prædictæ hasce dismembrationes, et respective uniones pro Nostro, et ejusdem apostolicæ Sedis arbitrio, et prudentiæ juxta eiusdem Caroli Emmanuelis votum, ac desiderium perficiendi, et absolvendi facultatem et auctoritatem harum serie specialiter reservamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad id vocati, et auditi non fuerint, seu etim ex eo, quod Turritana metropolitana ecclesia modo pastoris solatio destituta existit, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, et facti remedium impetrari posse, seu illas sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quæ fierent, comprehendi, sed tamquam ad prosperum populorum spiritualem regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et de unionibus, et dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de præstando consensu in similibus unionibus, et dismembrationibus, ac fel: rec: Benedicti pp. XIV. prædecessoris

Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non metropolitanæ ecclesiæ Turritanæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum tramsumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die vicesima quarta septembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCIL.

Dat. die 24 septembris 1798 anno XXIV.

**Elevatio ritus officii exaltationis sanctæ Crucis a duplici majori ad duplex secundæ classis cum octava pro civitate Limana.**

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus sæcularis, et regularis civitatis Limanæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in Christi Domini passionem afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum pro eadem civitate Limana ritum officii exaltationis sanctæ Crucis a duplici majori ad duplex secundæ classis cum octava pro clero sæculari, et regulari elevari possit auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum ef-

fectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra moenia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die vicesima quarta septembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

Dat. die 24 septembris 1798 anno XXIV.

## MCL.

Dismembratio duodecim villarum a diœcesi Arborensi.

### Pius PP. VI.

**Ad perpetuam rei memoriam.**

Proemium.

§. 1. Pastoralis omnium ecclesiarum sollicitudo, qua ex divina dispositione fungimur, exigit, ut pro locorum, ac temporum ratione sic earumdem ecclesiarum statui, ac finibus consulamus, ut venerabilibus fratribus archiepiscopis, seu episcopis, quos eisdem ecclesiis præesse dignoscitur, expeditius fiat spirituale sibi concreditarum animarum regimen, ac gubernium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Preces porrectæ a rege Sardiniæ.

§. 2. Quocirca cum nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniæ regis illustris expositum fuerit, faciliorem, ac promptiorem diœcesis Arborensis administrationem postulare, ut vel nunc vacante hac archiepiscopali sede, et priusquam novus ei a Nobis archiepiscopus præficiatur, vel etiam sede plena, aliqua loca, seu villas auctoritate Nostra apostolica divellamus, ut hæ illis diœcesibus uniantur, quæ ad majorem animarum Christifidelium profectum pertinere ex idoneis documentis in posterum dignoscetur.

Dismembratio villarum, earumque enumeratio, et descriptio.

§. 3. Nos piis ejusdem Caroli Emmanuelis votis annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, duodecim villas, unam videlicet, Albæ Sanctæ, alteram Rido Majoris, tertiam Bonacardo, quartam Baronedda, quintam Domus Novas, sextam Ghilarza, septimam Norghiddo, octavam Pauli-latino, nonam Sedilo, decimam Soddi, undecimam Tadasuni, ac duodecimam Zuri respective nuncupatas, earumque circuitus, et ambitus per integros eorum limites cum omnibus, et singulis parochialibus, aliisque ecclesiis, oratoriis, monasteriis, conventibus, ac hospitiis utriusque sexus regularium, quisque locis, quæ intra limites earumdem villarum existunt, nec non parochialium, et aliarum ecclesiarum prædictarum rectores, et quoscumque presbyteros, clerum omnem tum sæcularem, tum regularem, sanctimoniales, et populum universum infra eosdem limites commorantes, quæ, et qui ante Arborensis archiepiscopi ordinariæ jurisdictioni subjecta, et subjecti, atque de ejus diœcesi fuerunt, ab omni archiepiscopi Arborensis jurisdictione, et ab illius dioecesi penitus auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo dismembramus, sejungimus, separamus, atque dividimus, ac ab archiepiscopi Arborensis superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, correctione, et quibusvis aliis juribus metropolitanæ ecclesiæ Arborensis etiam decimas quascumque, et proventus, aliaque jura persolvendi omnino perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

§. 4. Quas quidem sic dismembratas duodecim villas, earumque circuitus, et ambitus per integros ipsarum limites cum omnibus, et singulis parochialibus, aliisque ecclesiis, oratoriis, monasteriis, conventibus, ac hospitiis utriusque sexus regularium, piisque locis infra limites earumdem villarum vel nunc, vel in futurum existentibus itidem modernos, et pro tempore existentes dictarum parochialium, aliarumque ecclesiarum rectores, et quoscumque presbyteros, omnemque clerum tum sæcularem, tum utriusque sexus regularem, et populum inibi nunc, et pro tempore degentes suo tempore designandis dioecesibus, illarumque respective pro tempore existentibus episcopis, atque illorum ordinariæ jurisdictioni, auctoritati, et potestati, visitationi quoque, et correctioni, nec non quibusvis omnibus, et singulis actibus, qui episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua qualibet dioecesi de jure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet agere, facere, et quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibus- Villæ dismembratæ subjiciuntur dioecesibus erigendis in posterum.

cumque juribus, decimis, et proventibus ex memoratis duodecim villis, seu locis ab antedicto archiepiscopo Arborensi hactenus percipi solitis nunc prout ex tunc cum scilicet dioeceses, quibus eadem loca, seu villæ sunt unienda, erunt statutæ etiam perpetuo assignamus, subiicimus, subponimus, et plenarie concedimus, dictisque parochialibus, aliarumque ecclesiarum rectoribus, presbyteris, clericis, et incolis quibuscumque, et pro tempore existentibus, et earumdem diœcesum episcopis tamquam propriis ordinariis in omnibus respective pareant, et obediant, præcipimus pariter, et mandamus.

Consulitur temporaneo gubernio villarum usque ad novam earum unionem dioecesibus erigendis.

§. 5. Ne autem interim, et dum diœceses, quibus eædem villæ, seu loca erunt unienda, designentur, pastore viduatæ sint, ut in eisdem duodecim sic dismembratis villis, seu locis, earumque circuitu, et ambitu per integros illarum limites interim, et usque uniones prædictæ perficiantur, et ad Nostrum, et apostolicæ Sedis beneplacitum eidem præficiendo archiepiscopo Arborensi omnimodam spiritualem jurisdictionem exercendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur. Mandamus tamen, atque harum serie statuimus, ut quamvis ab archiepiscopo Arborensi interim jurisdictio spiritualis in memoratis sic dismembratis villis, seu locis auctoritate Nostra apostolica exerceatur, nihilominus ab œconomo mensæ archiepiscopalis hujusmodi fructuum, redditnum, ac proventuum, qui ex duodecim villis prædictis quomodolibet percipientur, ratio separata, atque distincta habeatur, quo hinc mensæ, seu mensis episcopali, seu episcopalibus, quarum episcopo, seu episcopis erunt in posterum eædem villæ subjectæ, ac subpositæ, fructus, redditus, ac proventus prædicti attribuantur.

Consensus dismembrationi præbendus ab archiepiscopo Arborensi.

§. 6. Præterea cum eædem causæ, quæ fuerunt supra adductæ poscere possent, ut etiam in posterum, ac sede plena aliæ villæ, seu loca, ac paræciæ ab eadem diœcesi Arborensi separandæ, ac dismembrandæ sint: volumus propterea, ut archiepiscopus eidem metropolitanæ ecclesiæ Arborensi præficiendus in actu possessionis metropolitanæ ecclesiæ hujusmodi suum præstet consensum ad hoc, ut etiam sede plena omnes eæ ecclesiarum parochialium, ac villarum, seu locorum eidem metropolitanæ ecclesiæ Arborensi nunc subjectarum dismembrationes, ac separationes, et respective cum aliis diœcesibus uniones exequi canonice possint, quas Nos, et apostolica Sedes juxta temporum, ac rerum vices christifidelium saluti, ac Christianæ religioni augmento utiles fore conspexerimus: Nobis enim, ac Sedi apostolicæ prædictæ hasce dismembrationes, ac separationes, et respective uniones pro Nostro, et ejusdem apostolicæ Sedis arbitrio, et prudentia juxta ejusdem Caroli Emmanuelis votum, ac desiderium perficiendi, et absolvendi facultatem, et auctoritatem harum serie specialiter reservamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, et auditi non fuerint, seu etiam ex eo, quod Arborensis metropolitana ecclesia modo pastoris solatio destituta existit, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, et facti remedium impetrari posse, seu illas sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quæ fierent, comprehendi, sed tamquam ad prosperum populorum spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces esse, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, et dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de præstando consensu in similibus unionibus, et dismembrationibus, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus

constitutionibus, et ordinationibus, nec non metropolitanæ ecclesiæ Arborensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, et earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die vicesima quarta septembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCLI.

Dat. die 16 octobris 1798 anno XXIV.

Erectio oppidi Varsaviensis in episcopatum, ejusque collegiatæ in cathedralem.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ad universam agri Dominici curam, et inspectionem ubi primum fuimus ex divinæ bonitatis consilio, nulloque Nobis assistente meritorum suffragio vocati, nedum Nos plane ad hoc constitutos esse intelleximus, ut juxta verbum propheticum prava germina evellere, ac noxia quæque curaremus destruere, ut fructuosa plantaremus, atque ædificaremus utilia; sed vicissim agnovimus vigilis esse, et industrii agricolæ studium præcipuum, ut ubi inspexerit partem aliquam ipsius agri bonis undique florentem arboribus et plantis, illic satagat coloniam instruere, novumque præficere cultorem, ut circa eam duplicatis operariorum labore, et industria nullum in posterum, quod mereatur succidi germen appareat, sed herbis ita salubribus virescere videatur, ut dulcia pabula fiant, quæ gregem eo advenientem valeant saginare; ac denique repetente Domino cujusque villicationis rationem, et Nos de injuncto Nobis munere gaudeamus, et de traditis quisque sibi talentis relatos fructus uberius ei possit exhibere.

Descriptio oppidi Varsaviæ.

§. 2. Cum itaque sicut ex insinuatione Nobis a Friderico Guillelmo hoc nomine tertio Borussiæ rege nuper facta accepimus satis insigne nomine suo Varsaviæ oppidum sub dioecesi Posnaniensi in ultimis ferme orientem versus finibus provinciæ Borussiæ meridionalis, in ea nempe regione, quæ Masovia dicebatur consistens, in elatiori planitie, quæ per longum terrarum tractum ab occidente in orientem late patere dignoscitur, fluviumque Vistulam attingit, quo trajecto devincit subito solum, rursusque in vastissimam planitiem orientem versus protenditur. Fundatum arce regia munitum, regioque itidem palatio, et diversorum procerum curiis magnificis, ac privatorum domibus, quarum pleræque eleganti opere e latere cocto sunt constructæ, reliquæ vero ligneæ extremam dumta-

xat prædicti oppidi partes occupantes exornata, nec non populi frequentia celebre, utpote sexaginta, et aliquot millium habitatorum numero inter quos quamplurimæ nobiles, aliæque honestæ, civilique cultu viventes, ac pro temporum conditione satis locupletes enumerantur familiæ refertum, ob situs amplitudinem, sive ambitum octo Italorum milliaria, suburbiis, ipsomet oppido splendidioribus hoc in calculo comprehensis facile complectens, aerisque mitis, et temperati salubritatem, soli amœnitatem, humanarumque rerum ubertatem, et præcipue pro eo, quod in ipso oppido prædictæ nobiles familiæ per maxima anni parte hyemali potissimum tempore resident; inibique mons Pietatis provide institutus reperitur, licet attenta illius redditumm tenuitate, quæ præsentibus necessitatibus nequeant respondere. Pignatoria societas, quæ montis Pietatis hujusmodi vices abunde supplet subrogata existat, et insuper duo ecclesiastica puerorum seminaria, alterum nempe prope infrascriptam collegiatam ecclesiam, cui sacerdotes sæculares vitæ communis genere addicti præsunt, in quo octodecim circiter alumni educari consueverunt. Alterum vero prope parochialem ecclesiam sanctæ Crucis prædictæ diœcesis, quæ una cum ipso secundodicto seminario a presbyteris congregationis Missionis nuncupatæ administratur, congruisque pro sexdecim alendis clericis redditibus jampridem dotatum respective erecta, et fundata existunt. Quæ quidem seminaria licet non levem in eorum redditibus, hisce præsertim temporibus perpassa fuerint jacturam, adeo ut in posteriore nunc quinque tantum clerici manuteneri queant, spes tamen effulget, ut ope et ministerio summam rerum administrantium seminaria, ipsa nedum in eorum necessitatibus relevamen recipiant, verum etiam ad florentiorem statum redigantur, ac præter tres urbanas, duasque suburbanas nuncupatas parochiales ecclesias, quæ ambitu suo partem ejusdem oppidi attingunt, ac regularium diversorum respective ordinum infra exprimendorum domus, et cœnobia tam intra, quam extra prædictum oppidum existentes, et existentia, inter quæ unum videlicet clericorum regularium pauperum matris Dei Scholarum Piarum majus, et aliud nobilium respective nuncupata, ac reliquum clericorum itidem regularium sanctissimi redemptoris respective collegia pro adolescentibus humanis, divinisque literis instituendis adnumerentur. Ac unum æremitarum sancti Augustini, nec non duo sancti Dominici Prædicatorum nuncupatorum; ac quatuor minorum sancti Francisci conventualium, et observantium, ac recollectorum, et cappuccinorum respective nuncupatorum; ac denique duo beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo quoque nuncupatæ respective ordinum cœnobia, ac unam sancti Augustini canonicorum regularium, ac aliam fratrum sancti Pauli primi eremitæ nuncupati, ac reliquam sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum respective quoque ordinum regulares domus, seu conventus; nec non quinque sanctimonialium monasteria diversorum quoque respective ordinum.

Descriptio locorum extra oppidum, sed intra ambitum archidiaconatus Varsaviensis existentium.

§. 3. Et extra oppidum prædictum intra ambitum prædicti archidiaconatus Varsaviensis quindecim præterea virorum diversi itidem ordinis paria cœnobia præter alia bina mulieribus virginibus addicta, nec non complures domus officiis charitatis exhibendis designatas, inter quas merito quidem primo recensentur xenodochium amplissimum sub invocatione, seu titulo infantis Jesu curæ eorumdem presbyterorum congregationis missionis hujusmodi, et sororum charitatis nuncupatarum commissum, ubi infantes expositi, et orphani aluntur, ac ægrotis, et pauperibus victum ex quotidiana eleemosyna sibi comparantibus perfugium offertur. Ac unum et alterum Sancti Spiritus, et sancti Rochi respective nuncupata nosocomia, quæ a sororibus charitatis, ut præfertur, nuncupatis prædictis reguntur, ægrotis itidem destinata. Ac aliud pariter curæ, et sollicitudini fratrum congregationis sancti Joannis de Deo nuncupatorum demandatum, ac reliqua duo Sancti Spiritus videlicet, et sancti Lazari respective nuncupata similiter nosocomia, quorum posterius Cœltica lue laborantibus est assignatum. Ac ulterius domum sancti Casimiri nuncupatam, ubi puellæ parentibus orbatæ, aut illæ, quarum parentibus hujusmodi tenuiores sunt facultates educantur, quæ domus et pro puellarum conservatorio haberi potest, regiturque ab eisdem sororibus charitatis, ut præfertur, nuncupatis, quæ ipsæ et in domo ad vitam instituto suo respondentem informantur. Ac demum ultra laicorum confraternitates in omnibus ferme ecclesiis tam sæcularibus, quam regularibus prædicti oppidi existentes, binasque ecclesias, alteram nempe olim ad suppressam

societatem Jesu spectantem, alteram vero sancti Benonis nuncupatam sodalitatibus nationis Germanicæ attributas.

Descriptio ecclesiæ collegiatæ.

§. 4. Adest sæcularis, et admodum insignis collegiata, quæ etiam parochialis existit ecclesia divo Joanni Baptistæ dicata, quæ licet vetusta existat, ex ipsa tamen vetustate structuræ, quantæ sit soliditatis plane dignoscitur. Ipsa quidem ejus est amplitudinis, ut confluentem populum solemnioribus, majorique apparatu celebratis, celebrandisque festis facile recipiendi capax existat, ac fonte baptismali, choro, organo, cœmeterio, sacrario, quod pluribus sacris ad pontificalia officia peragenda ornamentis sufficienter provisum existit instructa, et in qua collegiata ecclesia de sanctissimæ Crucis ligno pars quædam, et spina e sacra Salvatoris nostri corona, et superstes e corpore divi Joannis Baptistæ ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis existit ecclesiæ patroni particula, aliorumque sanctorum lipsana priora illa, videlicet thecis ornatioribus acclusa speciali cultu, et veneratione decenter asservantur.

Insignitas capituli memoratur.

§. 5. Ac cujus insigne capitulum decano scilicet, qui decanatum inibi principalem, ac archidiacono, qui archidiaconatum secundam, ac præposito, qui præposituram tertiam, et custode, qui custodiam quartam, ac scholastico quintam, et cancellariatum sextam, nec non primicerio, qui primiceriatum septimam respective dignitates, et inibi existentes, quam quidem posteriorem dignitatem pro tempore obtinens utpote de jurepatronatus laicorum gentilitio certe illarum partium familiæ existens, suosque redditus extra fines ditionis Borussiæ constitutos possidens nihil cum capitulo dictæ collegiatæ, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit, ecclesiæ habet commune, præter stallum in choro, vocemque et votum in capitulo ipso, ac duodecim canonicis, qui totidem canonicatus, similesque præbendas (qui tamen, prout et dignitates prædictæ non nisi presbyteris, aut saltem clericis ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum obstricti conferri solent) respective obtinent componitur, ac cujus capitularis mensa, licet satis superque redditibus primum foret dotata, cum illi ante quinquennium duodecim millium scutorum monetæ Romanæ annuam excederent summam, factum tamen est inde postremis hisce temporibus, ut quam maximam, et fere in iis omnibus jacturam experiatur, cui quidem malo, quod et universo huic collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut præfertur existit ecclesiæ, addicto clero commune fuit infrascriptæ erectionis ministerio, quæ meliorem capitulo ipso in redditibus ex regia benignitate certe pollicetur sortem, consultum, prospectumque iri autumatur.

Numerantur vicariæ, et ecclesiæ parochiales.

§. 6. Ac præter capitulares hujusmodi novem vicariæ, quas pro tempore respective obtinentes curam animarum parochianorum dictæ collegiatæ, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit ecclesiæ sub illius capituli directione, et subordinatione exercent. Novemque pariter mansionariæ, et septem cappellaniæ, quarum vicariarum, et mansionariarum, nec non cappellaniarum respective possessores inferiorem in dicta collegiata, quæ etiam parochialis, ut præfertur, existit ecclesia clerum constituunt, respective erectæ, et institutæ reperiuntur. Ita idcirco celebre esse noscuntur, ut inter illustriora illarum partium oppida, optimo quidem jure recenseatur, et tam oppidum ipsum, ut ad episcopalis civitatis honorem evehatur, quam dicta collegiata, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit ecclesia, ad cathedralis ecclesiæ statum, et dignitatem promoveatur respective dignum, et digna reputentur.

Ratio decernendæ erectionis, et processus adhibitus ad hunc effectum.

§. 7. Proindeque Nos, quibus jampridem innotuit, quantæ foret utilitatis unam in dicto oppido episcopalem sedem instituere intuitu etiam extensæ, et peramplæ diœcesis Posnaniensis, quique usque etiam de anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo quarto postquam congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus concistorialibus præpositæ, cui res hujusmodi pro illius cognitione commissa fuerat, matura super hoc prius habita deliberatione ad erectionem ipsam, prævia approbatione certi tunc expressi tractatus, ac mediante divisione, et separatione ab episcopatu Posnaniensi, attenta illius sedis episcopalis vacatione tunc pridem secuta, et provisione, et perfectione ecclesiæ Posnaniensis pastoris solatio sic destitutæ de episcopo per Nos catenus nondum facta partis illius diœcesis certis limitibus subjectæ, quæ et Varsaviense oppidum prædictum complectitur, deveniendum fore censuerat, prout in decreto ejusdem congregationis sub die prima mensis februarii supradicti anni desuper edito plenius continetur. Decretum ipsum apostolica auctoritate approbavimus, et successive ex proces-

su a venerabili fratre Nostro Josepho Ribinski episcopo Wladislaviensi in vim facultatis apostolicæ sibi ad id specialiter, et expresse delegatæ in partibus desuper confecto compertum habuimus nedum congruum, et consentaneum, verum et utile, et necessarium fore, ut nova in oppido Varsaviensi prædicto episcopalis sedes pro catholicæ fidei propagatione, divinique cultus incremento et spirituali populorum bono instituatur.

Ecclesiæ collegiatæ titulus, et parochialitas extinguitur.

§. 8. Ad tam utile opus exequendum omne studium, universamque pastoralis officii Nostri sollicitudinem convertentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine dictam collegiatam, quæ etiam parochialis, ut præfertur, existit ecclesiam, et in ea titulum, denominationem, naturam, et essentiam collegialitatis, ita ut illa ex nunc collegiata esse desinat, et de cœtero uti talis amplius denominari, inscribi, censeri, vel reputari non possit, salva tamen, et illæsa illius parochialitate remanente de consensu dilectorum filiorum modernorum capituli, et canonicorum dictæ collegiatæ, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit ecclesiæ apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus et extinguimus.

Oppidum in civitatem episcopalem erigitur.

§. 9. Illaque sic suppressa, et extincta prædictum oppidum in civitatem episcopalem Varsaviensem, ut prius nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Ecclesia collegiata cathedralis declaratur.

§. 10. Dictam vero collegiatam, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit ecclesia per Nos sic, ut præfertur suppressam, et extinctam in cathedralem parochialem, ut antea extituram ecclesiam sub præfata ejusdem sancti Joannis Baptistæ invocatione, et in ea dignitatem, et sedem epicopalem pro uno deinceps episcopo Varsaviensi nuncupando, qui eidem ecclesiæ, illiusque civitati Varsaviensi, ut præfertur, nuncupandæ, et diœcesi etiam Varsaviensi, ut infra assignandæ præsit.

Concessio privilegiorum.

§. 11. Abbates, inferiores prælatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia, et singula jura, et officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa episcopali, cæterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliæ in contermediis provinciis illarum partium cathedrales ecclesiæ, illarumque præsules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, prædictique sancti Joannis Baptistæ honorem, fideique catholicæ exaltatione dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium etiam perpetuo erigimus, et instituimus, dictamque cathedralem ecclesiam per Nos sic, ut præfertur, erectam et institutam Sedi apostolicæ immediate subiectam semper et perpetuo fore, et esse eadem apostolica auctoritate declaramus.

Distributio dignitatum in capitulo.

§. 12. Deinde vero supradictum capitulum ejusdem collegiatæ, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit, ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ et extinctæ, et in cathedralem ecclesiam, ut præfertur, erectæ in capitulum cathedralem ecclesiam Varsaviensem nuncupandam, ac decanatum, qui principalis in dicta collegiata, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit ecclesia per Nos, ut præfertur, suppressa et extincta, dignitas hactenus existit in majorem post pontificalem, archidiaconatum vero secundam, et præposituram tertiam, ac custodiam quartam, et scholastriam quintam, et cancellariatum sextam, nec non primiceriatum septimam respective dignitates hujusmodi in totidem sub eodem quo enumerantur ordine similiter dignitates. Ac eosdem duodecim canonicatus, totidemque præbendas ipsius collegiatæ, quæ etiam, ut præfertur, parochialis existit, ecclesiæ per Nos, ut præfertur suppressæ, et extinctæ, eorumque, ac prædictarum septem dignitatum ut infra subrogandarum respective modernos, et pro tempore existentes possessores in totidem canonicatus, et præbendas, ac respective dignitarios, et canonicos, parique modo easdem novem vicarias, et novem mansionarias, septemque cappellanias, earumque respective quoque possessores in totidem vicarios, ac mansionarias, et cappellanias, et respective in totidem vicarios, et mansionarios, ac cappellanos dictæ cathedralis ecclesiæ Varsaviensis per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ eadem apo-

stolica auctoritate ipsarum quoque tenore præsentium similiter perpetuo respective substituimus, et subrogamus, ac substitutas, et subrogatas, nec non substitutos, et subrogatos esse, et fore, omnesque et singulos tam dignitates, ac canonicatus, et præbendas, quam vicarias, et mansionarias, nec non cappellanias hujusmodi respective nunc obtinentes per eos huc usque habita possessione absque alia eis desuper de novo facienda provisione, et in eorumdem fructuum, redditnum, et proventuum, quos de præsenti respective percipiunt, illorumque pariter etiam sibi in futurum attribuendorum fruitione libere, et licite remanere posse, et debere, salvis, firmis, et illæsis remanentibus favore eorumdem modernorum, et pro tempore existentium capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Varsaviensis per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ, per Nos sicut præfertur, subrogatorum hujusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, insigniis, prærogativis, honoribus, indulgentiis, aliisque gratiis quibuscumque tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis, aliisque respective juribus eisdem capitulo et canonicis, aliisque membris prædictae cathedralis ecclesiæ Varsaviensis, per Nos, ut præfertur erectæ, subrogatis, hujusmodi apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis, ac etiam de jure, consuetudine, aut alias quomodolibet competentibus, dummodo tamen illa sint in usu, et revocata non sint, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non repugnent, in omnibus, et per omnia, perinde ac si status collegialitatis hujusmodi minime immutatus foret eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque decernimus, et ordinamus.

Assignatio territorii pro nova dioecesi.

§. 13. Ut autem diœcesis Varsaviensis, illiusque ecclesiæ episcopalis respective territorium constitui possit a diœcesi Posnaniensi oppidum ipsum Varsaviense prædictum, omnemque partem, seu regionem, quæ sub archidiaconatu Varsaviensi prædicto comprehenditur, et a quorum tunc in humanis agente Michaele Poniatowski dum viveret archiepiscopo Guesnense, uti in administratore in spiritualibus, et temporalibus apostolica auctoritate prædicta deputato regebatur, et ad præsens sub temporali præfati Friderici Guillelmi regis ditione existit, finitimis terminis apprime descriptam juxta tractatum divisionis, et separationis hujusmodi superius expressum; et successivum decretum prædictæ congregationis, servatis de jure servandis, ab eo tunc sancitum, et per Nos etiam, ut præfertur, dicta apostolica auctoritate approbatum, cum omnibus, et singulis locis, terris, pagis, et vicis in ea existentibus dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, dictumque Varsaviense oppidum, et partem, seu regionem sub archidiaconatu prædicto, ut præfertur, comprehensam, sic dismembratas, divisas, et separatas una cum locis, terris, pagis, et vicis etiam ut præfertur, dismembratis, divisis, et separatis, atque in eis respective contentis paræciis, beneficiis, conventibus, monasteriis, locis piis, aliisque regularibus domibus, nec non utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos presbyteros beneficiatos, et religiosos quoscumque cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria jurisdictione, potestate, et superioritate venerabilis fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis episcopi Posnaniensis, ad tramites tractatus, et decreti prædictorum dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo disjungimus, et eximimus, ac oppidum Varsaviense prædictum in civitatem episcopalem per Nos, ut præfertur, erectam ac partem, seu regionem, sic, ut præfertur, comprehensam, nec non terras, loca, pagos, et vicos sic, ut præfertur dismembratas, divisas, et separatas, ac dismembrata, divisa, et separata, nec non dismembratos, divisos, et separatos, et in eis, ut præfertur, consistentes, et consistentia, parœcias, beneficia, monasteria, loca pia, conventus, aliasque regulares domus hujusmodi, et utriusque sexus habitatores, et incolas, tam sæculares, quam ecclesiásticos, et quorumvis ordinum regulares personas superius expressas novæ ecclesiæ episcopali Varsaviensi per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo; ita quod liceat personæ ecclesiæ episcopali Varsaviensi, per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ, tam a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum dicta apostolica auctoritate præficiendæ per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem,

et corporalem possessionem, seu quasi regiminis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicto oppido Varsavensi, et in parte, seu regione, ac locis, terris, pagis, et vicis, sic per Nos, ut præfertur, dismembratis, divisis, et separatis, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, venerabil s fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Guesnensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo assignamus, et respective supponimus, atque subiicimus.

Dotatio mensæ episcopalis.

§. 14. Mensæ vero episcopalis Varsaviensis per Nos, ut præfertur, erectæ dotationi, ad hoc ut primo futurus, et pro tempore existens episcopus Varsaviensis pontificalem dignitatem decenter tenere valeat, providere volentes, congruam, et muneri hujusmodi respondentem jam statutam summam octo millium scilicet scutorum monetæ Romanæ, duodecim millia taleorum Borussicorum constituentium ab omni prorsus onere liberam, immunem, et exemptam, annuatim perpetuis futuris temporibus primo futuro, et pro tempore existenti episcopo Varsaviensi e regio ærario in parata pecunia pendendam; ita quod liceat eidem primo futuro, et pro tempore existenti Varsaviensi episcopo dictam summam ei, ut præfertur, attributam percipere, exigere, levare, ac in suos, dictæque mensæ episcopalis per Nos, ut præfertur, erectæ usus, et utilitatem convertere, cujusvis quoque licentia desuper minime requisita.

Assignatio habitationis pro episcopo.

§. 15. Eidemque primo futuro, et pro tempore existenti episcopo Varsaviensi pro sui commoda, et decenti habitatione amplissimum palatium æque ac magnificum, et omni in parte integerrimum jam pro hujusmodi usu assignatum, in quo ipse residentiam suam facere debebit dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo respective concedimus, et assignamus.

Concessio juris condendi statuta favore capituli.

§. 16. Cæterum, ut erecta in prædicta cathedrali ecclesia rerum dispositio in iis, quæ illius capitulum concernunt in futurum servetur, eisdem futuris, et pro tempore existentibus decano, et archidiacono, ac præposito, et custodi, ac scholastico, et cancellario, ac primicerio, singulisque canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, sic ut præfertur, subrogatis hujusmodi, ut ipsi capitulariter congregati pro dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque mensæ capitularis, nec non sacristiæ, eorumque respective rerum, et bonorum, ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, et felici statu, regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis nunc, et pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum, et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque dexactione, perceptione, repartitione, divisione, pœnarum per absentes, et divinis officiis hujusmodi suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet respective incumbentia subire negligentes incurrendarum servitio chori præstando singulorum præsentiis notandis, cæremoniis, ac ritibus in prædicta cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus capitularibus hujusmodi servandis, officialibus, et ministris dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, necessariis deputandis, et amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis, et stipendiis præstandis, ac quibuscumque aliis rebus in præmissis, et circa præmissa quomodolibet necessariis, et opportunis statuta, ordinationes, et decreta alia hactenus edita, quoties opus fuerit cum approbatione tam ipsius futuri episcopi Varsaviensis in meliorem formam redigere, et reformare, seu etiam alia de novo ex integro sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini minime adversantia, et, ut præfertur, per prædictum futurum episcopum Varsaviensem examinanda, et approbanda, ac per eos, ad quos nunc spectat, et pertinet, ac pro tempore quomodolibet spectabit, et pertinebit observanda sub pœnis in contravenientes infligendis similiter edere libere, et licite possint, et valeant plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impartimur.

Concessio privilegiorum.

§. 17. Eisdemque futuris, et pro tempore existentibus decano, et archidiacono, et præposito, ac custodi, et scholastico, ac cancellario, et primicerio, singulisque canonicis, et vicariis, mansionariis, et cappellanis dictæ cathedralis ecclesiæ, per Nos, ut præfertur, erectæ, sic per Nos, ut præfertur subrogatis hujusmodi, ut ipsi et co-

rum quilibet, nec non ipsorum respective officiales, et ministri, ac res, bona, proprietates, jura quæcumque omnibus, et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliæ similes illarum partium cathedrales ecclesiæ, earumque capitula, canonici, et dignitates, ac beneficia in eis obtinentes, illarumque ministri, et bona, jura, res et proprietates de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, seu privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum similiter, et pariformiter æque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione, comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini prædicti decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, et uti, frui, potiri, et gaudere quoque possint, et valeant, perinde ac si eis specialiter nominatim et expresse concessa fuissent eadem apostolica auctoritate perpetuo pariter respective concedimus, et indulgemus.

Omnia in præsentibus literis disposita exequenda esse decernitur sublato quovis remedio juris in contrarium faciente.

§. 18. Ac suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, declarationem, substitutionem, subrogationem, decretum, ordinationem, dismembrationem, divisionem, separationem, disjunctionem, exemptionem, suppositionem, subjectionem, concessionem, assignationem, licentiæ, et facultatis impartitionem, concessionem, indultum, nec non easdem præsentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quamtumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quocumque alio quamtumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa quantumvis justa, rationabili, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris hujusmodi, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse, et fore.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 19. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosque quoscumque, quavis auctoritate, potestate, prærogativa, et privilegio fungen-

tes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum quoque, et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 20. Postremo autem desiderantes, ut præmissa omnia sic per Nos, ut præfertur, provide disposita, et ordinata ad suum feliciter perducantur effectum, et quæcumque, quæ in similibus forsan suscitari solent, obstacula dirimantur, hinc prædictum Josephum episcopum Wladislaviensem in exequutorem pro exequtione earumdem præsentium apostolica auctoritate prædicta constituimus, et deputamus; eidemque episcopo Wladislaviensi facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro hujusmodi exequutionis effectu subdelegare libere, et licite possit, ac tam eidem episcopo, quam dilectis etiam filiis modernis illius vicario in spiritualibus generali, aut officiali, vel delegato hujusmodi, ut ipsi, et eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen, quæ fuerint de jure servanda, definitive pronunciare libere quoque, et licite valeat dicta apostolica autoritate ipsarum tenore præsentium concedimus, et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§. 21. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de suppressionibus, dismembrationibus, et unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesia membra distingui, et dividi prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictæque ecclesiæ Posnaniensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac individua; ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, et quævis alia etiam expressio habenda, seu quælibet alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de erigendis præbendis teologali, et poenitentiaria.

§. 22 Et attento, quod in prædicta collegiata, quæ etiam, ut præfertur, suppressa, et extincta, ac in cathedralem ecclesiam, ut præfertur, erecta hactenus theologalis, et pœnitentiaria respective præbendæ institutæ minime existunt, volumus, quod una, et altera præbendæ hujusmodi per primo futurum episcopum Varsaviensem juxta præscriptum concilii Tridentini erigi, et institui debeant, conscientiam ipsius futuri episcopi super hoc onerando.

Onus episcopis impositum expediendi bullas.

§. 23. Volumus etiam quod personæ dictæ ecclesiæ Varsaviensi per Nos, ut præfertur, erectæ tam pro hac prima vice, quam dum illam in futurum pro tempore pastoris solatio destitui contigerit per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes in episcopos præficiendæ literas apostolicas sub plumbo per cancellariam apostolicam prædictam desuper de more expedire debeant, et teneantur.

Præceptum de inscribendis fructibus mensæ in literis cameræ.

§. 24. Præterea etiam volumus, quod fructus prædictæ mensæ episcopalis Varsaviensis per Nos, ut præfertur, erectæ ad octingentos florenos auri taxari, et hujusmodi taxa in libris cameræ apostolicæ describi debeat.

Sanctio poenalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, declarationis, substitutionis, subrogationis, decreti, ordinationis, dismembra-

tionis, divisionis, separationis, suppositionis, subjectionis, concessionis, assignationis, licentiæ, et facultatis impartitionis, et concessionis, indulti, decreti, constitutionis, deputationis, posterioris licentiæ, et facultatis impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum prope Florentiam in cœnobio Carthusianorum, decimo septimo kalendas novembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

---

Dat. die 13 novembris 1798 anno XXIV.

## MCLII.

Declaratio literarum apostolicarum sanctissimi Domini Nostri Pii pp. VI alias sub die 30 decembris 1797 expeditarum, quibus opportuna præscribitur methodus servanda in casu obitus ejusdem pontificis extra Romanam curiam.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur præcedentes literæ apostolicæ, et refertur quid in aliis dispositum fuerit super methodo servanda in nova electione pontificis.

§. 1. Cum Nos superiori anno invalescente in dies inimicorum Nostrorum potentia, eum in locum Romanam Ecclesiam adductam videremus, ut omnia Nobis metuenda essent, quæ ad ejus libertatem extinguendam pertinerent, nihil tam vehementer pertimuimus, quam ne vacante post obitum Nostrum Sede apostolica, impeditis per vim, aut perturbatis comitiis, quæ de successore Nostro eligendo futura sunt, aut impossibilis omnino ratio novi creandi pontificis redderetur, aut saltem tantæ rei celeriter expediendæ infinita impedimenta opponerentur. Itaque, ut huic periculo, qua ratione per Nos fieri poterat, occurreremus, per alias Nostras literas sub plumbo datas tertio kalendas januarii, pontificatus Nostri anno vicesimo tertio decrevimus, ut esset penes arbitrium majoris partis cardinalium, qui præsentes essent eum in locum ad pontificem eligendum convenire, qui iis opportunior videretur, iisdemque potestatem fecimus sive protrahendi, sive contrahendi, si id opus esset, spatium decem dierum a Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris, ac præsertim a beato Gregorio X constitutum, quod a pontificis obitu ad ingressum in conclave intercedere debet; haud abrogantes tamen ulla ex parte cæteris cæremoniis, atque solemnitatibus, quæ per eorumdem pontificum constitutiones in electione Romani pontificis præscribuntur.

Exponitur mala graviora, et detestabiliora obvenisse in perniciem Ecclesiæ Romanæ, ejusque libertatis.

§. 2. Nec vero Nos inani malorum impendentium formidine perculsi fueramus, siquidem multo graviora, ac detestabiliora contra Romanam ecclesiam, ejusque libertatem fieri vidimus quam illa essent, quæ a Nobis metuebantur. Venerabiles enim fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ad quos privative Romani pontificis spectat electio, vel urbe expulsi, vel in carcerem conjecti, vel alii alium in locum deportati, patrimonium beati Petri direptum, bona ecclesiarum divendita, monasteria, expulsis regularium familiis, in prophanos usus conversa, ipsa quoque disciplina Ecclesiæ perturbata, nec sacerdotii conculcata immunitas solum, sed etiam auctoritas circumscripta, libertasque sublata; Nos vero ipsi, qui beati Petri patrimonii vindices, atque custodes constituti sumus, et meritis licet imparibus, ita Domino volente, universæ Christi Ecclesiæ præsumus, ejusque vices tamquam beati Petri successores in terris gerimus, et sacerdotii violata jura defendere, ac tueri tenemur, ex Romana Sede ejecti, et in alienas terras commigrare compulsi, atque hoc in Carthusianorum cœnobio detenti, nec per apostolicam auctoritatem tanta mala impedire, nec reclamare contra tantam cum humanorum, tum divinorum jurium conculcationem possumus, quin vereamur ne ob tantam hominum impietatem, ac vim graviora ex inde mala in Ecclesiam, religionemque universam sint oritura.

Exponitur quo modo Deus in tantis periculis non defuit Ecclesiæ suæ.

§. 3. Non tamen in tantis periculis defuit Ecclesiæ suæ Deus. Præterquamquod enim tantam firmitatem venerabilibus fratribus Nostris indidit, quanta eos præstare necesse erat ad infinitas illas ærumnas alacri animo sustinendas, quas subire coacti sunt, ita etiam divino suo auxilio debilem hanc senectutem Nostram sustentavit, ac rexit, ut non solum tantis Nos Ecclesiæ malis superstites essemus, verum etiam, ut cœlesti gratia confirmati tantos labores constanter perferre, ac si minus præsentibus, futuris saltem Ecclesiæ pe-

riculis aliquo modo providere possemus. Quoniam vero ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes sunt accommodandæ: cum Nos propterea nova mala, quæ contra apostolicam libertatem acciderunt his novem mensibus, qui consecuti sunt, videamus ad electionis pericula præcavenda non satis esse posse ea remedia, quæ tunc per præfatas Nostras literas præscripta fuere: auctis enim Ecclesiæ difficultatibus, novis derogationibus tempora indigent, ne pontificis electio perturbetur, cum magis quærendum sit Nobis, ut faciliter, et celeriter eligatur Romanus pontifex, quam ut servatis rite cæremoniis, ac solemnitatibus eligatur, quarum his præsertim temporibus nulla forsan ratio haberi potest.

Ex novis causis praecipitur electionem futuri pontificis fieri posse in primis, vel secundis comitiis.

§. 4. Motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, in iis tantum comitiis, quæ de pontifice eligendo prima post obitum Nostrum futura sunt, ac etiam in immediate sequentibus, quatenus, quod absit, minime in melius immutatis circumstantiis, et nulla super hoc prolata nova lege decedat successor Noster, derogamus, volumus, et plane, atque expresse derogamus non solum iis legibus, quæ de habendis comitiis in eo loco, ubi mortuus est pontifex, constitutæ sunt, sed etiam omnibus cæremoniis, solemnitatibus, consuetudinibus, quæ ad substantiam canonicæ electionis minime pertinent, et in pontifice eligendo servari solent ex præscripto, et sanctionibus Romanorum pontificum, ac præsertim beati Gregorii X. constitutione = *Ubi periculum* = edita in concilio generali Lugdunensi, constitutione Clementis V. edita in concilio generali Viennensi = *Ne Romani* = constitutione Clementis VI. = *Licet in constitutione* = ann. MCCCLI., Urbani VIII. = *Ad Romani pontificis* MDCXXVI., Pii IV. = *In eligendis* = MDLXII., duabus Gregorii XV. MDCXXI. = *Æterni patris* = *Decet Romanum pontificem* = Clementis XII. *Apostolatus officium* = MDCCXXXII., et Nostra = *Christi Ecclesiæ* = anni proximi superioris in iis, quæ posteriori huic adversantur, simulque cardinales tum universos, tum singulos ab omni sacramenti religione, qua se obstrinxerunt ea omnia servandi, ac retinendi in pontificis electione, pro primis tantum futuris comitiis, et quatenus opus sit pro immediate dumtaxat sequentibus solvimus, ac solutos declaramus.

Conceditur facultas ineundi consilia inter cardinales super electione novi pontificis, etiam ante obitum prædecessoris.

§. 5. Cum autem intelligamus quoque plurimum ad celeritatem electionis collaturum, si cardinales ante obitum Nostrum consilia ineant inter se, deliberentque quænam expeditior sit ratio, qua et ea fieri, quæ a Nobis constituta sunt, et futuri pontificis electio mature, ac celeriter haberi possit; cumque apostolicæ constitutiones gravissimis censuris eos affectos velint, qui vivente, et inconsulto pontifice de successore ejus eligendo sermones habere, ac deliberare audent, ut in constitutione præsertim Pauli II. = *Cum secundum* =; propterea Nos tam huic constitutioni, quam cæteris hujusmodi derogantes potestatem facimus cardinalibus universis, ac singulis, etiam viventibus Nobis, sermones habendi, deliberandi, conveniendi de ratione, qua facilius possint, quæ a Nobis provisa sunt, exequi, atque expedire: ita ut de indicendo comitiorum die, de loco, in quem eadem convocanda erunt, de conclavis clausura utrum ea servanda an tollenda judicabitur, de eorum delectu, qui ministri in conclavi sunt designandi, de iis denique omnibus, de quibus agi ad maturandam pontificis electionem necessarium videbitur, ipsis liberum sit colloqui, deliberare, et constituere: dummodo in hac deliberandi, et costituendi facultate cautum semper maneat, ne cui unquam ex cardinalibus de eo, qui pontifex eligendus erit nisi post obitum Nostrum aut convenire, aut deliberare liceat.

Deputatio illius qui cardinales, mortuo pontifice convocare debet ad conclave.

§. 6. Cæterum salvis, ac firmis conditionibus omnibus, quæ necessariæ sunt in quavis electione canonica Romani pontificis tam iis, quæ ad loci ubi comitia habenda erunt securitatem pertinent, quam illis, quæ spectant ad electorum libertatem, et ad duas tertias partes suffragiorum eorum, qui congregati sint, quibus conveniri in electum debet, excluso item omni ambitus, ac simoniæ crimine, de quo ne suspicari quidem Nos possumus; præcipimus, ac mandamus, ut ex eo loco, unde Nos tantis e vitæ laboribus ad aeternam pacem, quam speramus migrare justus, et misericors Dominus voluerit, quicumque e cardinalibus aderit, et si plures erunt eorum dignior, aut iis omnibus absentibus nuntius apostolicus, sive in hujus defectu loci ordinarius, aut prælatus, vel alius quispiam in dignitate ecclesiastica constitutus, quam celeriter de pontificis obitu certiores cardinales faciat, ut qui ex iis accedere ad comitia possunt, statim ad conveniendum se comparent.

Statuitur, qui cardinales novum pontificem eligere possint.

§. 7. Et quoniam vi distracti, ac dissipati per diversas regiones cardinales maxime timendum est, ne ad libitum discedere, atque in unum locum se conferre prohibeantur, ut vel diu Petri navis præsentibus jactata permagnis fluctibus gubernatore suo careat, vel congregatis hac illac nonnullis cardinalibus plures eligantur pontifices, et schismate, quod Deus avertat, vexetur sancta Dei Ecclesia; idcirco ut tantis Deo adjuvante occurramus calamitatibus, simili motu proprio, ac certa scientia, et de apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, statuimus, ac mandamus, ut eveniente extra Romanam curiam obitis Nostro jus eligendi summum pontificem per eos cardinales unice exerceatur, qui in ditione alicujus catholici principis plures numero, quam alii ulla alia in regione commorantes invenientur, simulque per eos, qui ex aliis regionibus ad comitia in præfata ditione explenda accesserint.

Quo in loco conclave sit habendum statuitur.

§. 8. Ob eamque causam volumus, ut de more cardinalis sacri collegii decanus, si tamen is in dominatione illa aderit, in qua plures numero versentur cardinales, sive eo absente, qui potior dignitate inter illos erit certior factus de obitu Nostro statim de nonnullorum ex iisdem cardinalibus consilio, nisi forte pridem cum ipsis statutum fuerit, opportuniorem locum ad habenda comitia constituat, in eumque cunctis ex locis cardinales omnes ubicumque degentes per indictionis literas evocet, et ad illos, qui alibi commorantur de ipsorum pluralitate informandos nomine mittat, eorum cardinalium, qui in ditione ejusdem principis existunt. Quare in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut nisi gravissima intercesserint impedimenta cardinales omnes denunciationis literis ad comitia evocantibus statim parere teneantur: iisque dumtaxat cardinalibus, qui plures in eodem loco congregati erunt, cæterisque accedentibus ante peractam electionem, amplam potestatem facimus non solum decernendi per suffragiorum pluralitatem de iis omnibus, quæ ad pontificis electionem pertinent, verum etiam transacto consueto decennio pontificem ipsum, quamvis non expectato cæterorum cardinalium adventu, libere, ac licite eligendi; ita ut, qui a duabus tertiis partibus congregatorum cardinalium electus pontifex fuerit, is rite electus, et vere sit Romanus pontifex Christi vicarius, et talis ab universa Ecclesia agnosci, atque haberi debeat. Mamdamus præterea, ut hæ literæ apostolicæ voluntatis Nostræ prima die, in qua ad suffragia cardinales convenerint, palam recitentur, et si qua in re aut interpretatione, aut declaratione aliqua indigere videbuntur, id per sententiarum pluralitatem ab iisdem cardinalibus, qui congregati fuerint interpretetur, ac declaretur, ita ut quidquid a majori parte cardinalium congregatorum constitutum hac ratione fuerit, id habeatur perinde ac apostolica auctoritate esset a Nobis constitutum.

Observantia præmissorum decernitur, etiam virtute sanctæ obedientiæ.

§. 9. Quia vero res, de qua agitur, tanti momenti est, ut ab ea potissimum et matura pontificis electio, catholicæ unitatis conservatio, et Ecclesiæ tranquillitas pendere videantur, Nos utentes apostolica Nostra auctoritate in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna excommunicationis præcipimus, ne quis e sacro callegio cardinalium fas sibi esse quovis prætextu arbitretur his, quæ a Nobis per has alteras Nostras literas præscripta sunt animo minus prompto, atque obsequenti repugnare; quinimo volumus ut universi singula quæque servare, atque exequi teneantur. Itaque per viscera misericordiæ Dei Nostri, per diffusam in cordibus Nostris divini spiritus charitatem, ac per eam sacramenti religionem, qua unusquisque in sacrum cardinalium collegium cooptatus sese obstringit tuendi, ac defendendi Christi Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem hortamur, tum singulos, tum universos, ut in tanto christianæ religionis periculo privatis rationibus Dei gloriæ, et Ecclesiæ tranquillitati postpositis, libentibus, et concordibus animis in hanc unam curam incumbant, ut ne nimium diu Petri navicula tantis tempestatibus agitata, rectore, ac gubernatore destituta fluctuare cogatur, nec catholicus grex universus tot lupis in ovium prædam undecumque irruentibus per privata studia pastore, et custode suo careat, a quo defendi, ac servari possit: illud sibi persuadentes, se quamvis tot, tamque acerbis ærumnis pro Christo in omni patientia ac mansuetudine tolleratis fidem suam tanta cum gloria probarint ecclesiæ, nulla tamen fidei suæ in eam luculentiora documenta esse daturos, quam si concordibus studiis in pontifice celeriter eligendo illud ostenderint se revera nulla propriorum commodorum ratione habita solum Ecclesiæ tranquil-

litati Christiani gregis saluti, orbis terrarum universi periculis prospicere statuisset.

Decretum irritans.

§. 10. Decernentes præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, sive auditi fuerint; sed easdem præsentes literas semper, ac perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, ac integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter quoque observari debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac tam Alexandri III. quam Gregorii X. et Clementis V., ac Pii IV., aliorumque Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum circa electionem summi pontificis hactenus editis constitutionibus, et ordinationibus, earumque omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, quoad reliqua in eis contenta in suo robore permansura volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Volumus insuper, et apostolica auctoritate decernimus, quod præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum permissionis, relaxationis, dispensationis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum ex cœnobio Carthusianorum prope Florentiam anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, idibus novembris, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

## MCLIII.

Dat. die 26 novembris 1798 anno XXIV.

Ut in die festo s. Leucii recitarii possit officium et missa alias pro civitate Beneventana approbat. instantibus clero sæculari, et regulari Coloniæ Regalis s. Leucii Neapolitanæ diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus sæcularis, et regularis Coloniæ sancti Leucii Neapolitanæ seu alterius diœcesis, quod ipsi ad augendam christifidelium in sanctum Leucium ejusdem Coloniæ patronum devotionem, officium, ac missam ejusdem sancti alias ab apostolica Sede pro civitate Nostra Beneventana approbata recitare, ac respective celebrare posse in ejus die festo summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eorumdem exponentium votis quantum cum Domino possumus annuere volentes, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratis exponentibus, ut officium, et missam prædicta in die festo ejusdem sancti recitare, et respective celebrare libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi fa-

cultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium monachorum ordinis Carthusiensis extra mœnia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die vicesima sexta novembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.



# PIUS VI.

## ANNO VICESIMO QUINTO

### MCLIV.

Dat. die 6 martii 1798 anno XXV.

Erecto ecclesiæ monasterii ordinis sancti Basilii magni sub titulo beatæ Mariæ virginis et sancti Joannis evangelistæ Greco-Rutheni uniti ritus in ditionibusKiovensi, et Bretensi respective diœcesibus existentibus.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Susceptam a Nobis, divina sic disponente clementia, imparibus sane meritis pastorale officium exigit, ut spiritualibus Dominici gregis, cui tamquam universalis pastor præsidemus utilitatibus provide, firmiterque prospicere curemus, quod si per plures gregis hujusmodi oves a propriis eorum pastoribus, quos in partem sollicitudinis Nostræ vocavimus, earum cura, et inspectione pastoribus ipsis Nobis hoc in munere adjutoribus concredita temporum, humanarumque rerum vicissitudine sejunctas, atque distractas, et spirituali pabulo destitutas novimus, de apostolicæ potestatis plenitudine illas ab eorum, quibus modo subsunt pastoribus perpetuo segregando novam intra præfinitos agrorum, ubi ipsæ consistunt, limites pastoralem satagimus instruere sedem, ovesque sic distractas in unum reducere gregem, qui provido pastori eas probe noscens, et nutriens specialibus commissus, spiritualibus proficere valeat incrementis.

Ratio decernendæ erectionis, et unionis.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus fideles nationis Græco-Rutheni ritus catholicæ Romanæ Ecclesiæ inviolabili unitatis fœdere junctæ in districtibus Kioviensis, et Bretensis respective diœcesum, et temporali Friderici Guillelmi hoc nomine III. Borussiæ regis illustris dominio subjecti ob plures, nec superabiles rerum circumstantias, et difficultates necessariis sacrosanctæ religionis subsidiis, quæ a legitimis ecclesiarum suarum pastoribus consequi solebant antequam ii, eorumque episcopales sedes alienæ temporali ditioni cessissent, adeo destituti evaserint, et de præsenti reperiantur, ut ad rectam rursus inter pastores ipsos, eorumque gregum distractas portiones in supradictis diœcesibus existentes communicandi aperiendam viam, qua suas quisque pastor circum habeat oves spirituali pabulo nutriendas. Novæ episcopalis sedis erectio ejusdem Greco-Ruteni uniti ritus in loco ad hunc effectum juxta populorum illarum regionum non præsuli adiicendorum vicinitatem aptiori nedum utilis, verum etiam necessaria dignoscatur. Cumque sicut ex insinuatione prædicti Friderici Guillelmi regis Nobis facta pariter accepimus in provincia Lithuaniæ adsit Suprasliæ locus olim in limitibus magni ejusdem Lithuaniæ ducatus, nunc vero in novo orientali Borussia sub temporali ejusdem Friderici Guillelmi regis ditione in planitie positus, qui licet circum adjacentes habeat sylvas, amœnitate tamen positionis, et salubritate aeris gaudet, et in quo celebre monasterium Suprasliense nuncupatum ordinis sancti Basilii Ruthenorum vigintiduobus monachis eorumdem ordinis, et ritus expresse professis constans; quod quidem monasterium e fluvio Suprasliensi nuncupato ipsum alluens nomen sumpsit jam pridem fundatum reperitur; ad ipsum autem monasterium, cui attiguum est palatium pro habitatione pro tempore existentium illius abbatum, aliasper quondam tunc in humanis agentem Leonem Kiszka, dum viveret,

archiepiscopum Kioviensem, unaque simul monasterii prædicti abbatem ex solido muro extructum spectet ecclesia Deo in honorem Annunciationis beatæ Mariæ virginis, et divi Joannis evangelistæ dicata usque et de anno ejusdem Domini millesimo quingentesimo tertio per quondam pariter tunc in eisdem humanis agentes Josephum Soltan Kioviensem pariter dumviveret archiepiscopum, et Alexandrum Chodhiecviez a fundamentis, ut fertur, ædificata lamina alba ferrea cooperta, ac quatuor turribus, quinta autem eminentiori supra medium tecti exornata, fonte baptismali, et sacrario necessariis ad divina peragenda, et ad pontificalia exercenda officia, suppellectilibus ut pote in monasterio abbatiali sat bene proviso instructa, nec non præter lignum sanctissimæ crucis, quam pluribus sanctorum decorata reliquiis, inter quas illæ sanctorum martyrum Justini Josaphat, dum viveret, archiepiscopi Plocensis adnumerantur, quæ in tumbis eleganter excitatis, exornatisque speciali cultu, et veneratione decenter asservantur, nec non choro, organis, ac segregata ab ipsa ecclesia turri cum campanis non mediocribus ditata, suum penes sylvam non procul ab ipsa ecclesia sepibus circumductum habens cæmeterium, quod ab illo monachorum omnino separatum existit cum cadavera eorum in cathacumbis in horto prope monasterium hujusmodi existentibus, super quibus cappella extructa reperitur, pie condantur; hic sane Supraslíæ locus, qui suam ex ipso monasterio mutuatur celebritatem, ut ad episcopalis civitatis honorem evehatur, dictique monasterii ecclesia ad cathedralis ecclesiæ statum, ac dignitatem promoveatur respective dignus, et digna reputentur.

Processus fabricatus super utilitate, et convenientia unionis.

§. 3. Proindeque Nos, qui jam usque et de anno ejusdem Domini millesimo septingentesimo nonagesimo septimo ad tanti momenti opus, ac qua par est maturitate incoandum, prævio consilio congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ecclesiasticis istarum regionum negociis præpositorum, auditisque pariter ecclesiarum superius expressarum præsulibus, quorum diœceses infrascriptæ necessariæ dismembrationi fuissent obnoxiæ, animum Nostrum adjecimus, ac singularem pro illius prosecutione, et perfectione annuentiam demonstravimus, quique ex processu a venerabili etiam fratre Nostro Onuphrio Cajetano Szembek moderno Plocensi episcopo tunc temporis coadjutori cum futura successione quondam tunc in eisdem humanis agenti Hilario etiam Szembek tunc, dum viveret, episcopo Plocensi in regimine, et administratione ipsius Plocensis ecclesiæ apostolica auctoritate prædicta deputato in vim facultatis utrique eorum ad id specialiter, et expresse delegatæ in partibus confecto de erectionis hujusmodi necessitate plene instructi fuimus, eximiam prædicti Friderici Guillelmi regis erga catholicos suis in ditionibus existentes humanitatem, et beneficentiam, regiamque simul liberalitatem summopere commendantes, fideique catholicæ propagationem in illis præsertim regionibus, quantum in Domino possumus favere, simulque indubium huic inclytæ genti apostolicæ Nostræ benignitatis testimonium præbere volentes.

Erectio loci Suprasliæ in civitatem, et concessio privilegiorum.

§. 4. Motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine prædictum Suprasliæ locum in civitatem Suprasliensem nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum: præfatam vero ejusdem monasterii ecclesiam in cathedralem ecclesiam sub prædicta Annunciationis ejusdem beatæ Mariæ virginis, et sancti Joannis evangelistæ invocatione sæcularem ejusdem Græco-Rutheni uniti ritus exlituram, in qua ejusdem monasterii monachi prædicti, ut antea remanere, et opportune ecclesiæ ipsi in cathedralem, ut infra erigendæ et primo futuro, et pro tempore existenti episcopo obsequia præstare, et exhibere, et in assuetis eorum piis operibus, et religiosis officiis, ritibus, et cæremoniis juxta ordinis ejusdem sancti Basilii regularia instituta perseverare valeant, antiquis ejusdem monasterii fundationibus salvis, firmis, et illæsis, ut antea, remanentibus.

Erectio sedis episcopalis, et capituli.

§. 5. Et in ea dignitatem, ac sedem episcopalem pro uno deinceps episcopo Suprasliensi nuncupando ejusdem ritus, qui eidem ecclesiæ, illiusque civitatis Suprasliensis, ut infra, assignandæ præsit, abbates, inferiores prælatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia, et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa

episcopali, cæterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, prærogativis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliæ illarum partium cathedrales ecclesiæ ejus ritus, illarumque præsules quomodolibet (non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari) similiter utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri, et guadere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Distributio dignitatum capitularum.

§. 6. Atque in ea unam post pontificalem majorem pro uno presbytero, qui capituli ejusdem cathedralis ecclesiæ, ut infra, erigendæ caput existat, ac tam in choro, quam in eodem capitulo, actibusque capitularibus publicis, et privatis, processionibus, aliisque functionibus quibuscumque præsit, ac præeminentiam, et præcedentiam, primumque, et digniorem locum habeat. Ac aliam secundam nuncupandam respective dignitates extituras pro uno itidem presbytero respective futuris dictæ cathedralis ecclesiæ, ut infra, erigendæ praepositis, seu praelatis, nec non quatuor canonicatus, totidemque praebendas pro quatuor similiter presbyteris respective quoque futuris dictae cathedralis ecclesiae, ut infra erigendae canonicis, qui illius capitulum constituant, et apud cathedralem ecclesiam prædictam, ut infra erigendam personaliter certis a futuro Supraslìensi episcopo in statutis, ut infra, condendis præfiniendis diebus, et temporibus residere, horasque canonicas tam diurnas, quam nocturnas, cæteraque divina officia juxta eorum ritum, sarvataque Ecclesiæ disciplina ad instar aliarum cathedralium ecclesiarum ejusdem ritus recitare, decantare, et psallere, eidemque cathedrali ecclesiæ, ut infra, erigendæ laudabiliter deservire respective debeant, et teneantur; qui quidem canonici, prout etiam dignitates prædictas in dicta cathedrali ecclesia, ut infra erigenda ad residendum continuo apud illam minime adstricti, parochiales ecclesias, earumque perpetuas vicarias ejusdem Græco-Rutheni uniti ritus eis canonice conferendas una cum suis dignitatibus, seu canonicatibus, et præbendis, ut infra, erigendis absque dispensatione apostolica consequi, et retinere queant, ad quem effectum opportunam eis ex nunc pro tunc licentiam tribuimus, et facultatem, ad omnipotentis Dei, beatissimæ virginis laudem, et gloriam, prædictique sancti Joannis evangelistæ honorem, fideique catholicæ exaltationem dicta apostolica auctoritate perpetuo erigimus, et instituimus.

Nova cathedralis Ecclesia soli sedi apostolicæ subjicitur.

§. 7. Dictamque cathedralem ecclesiam per Nos sic, ut præfertur, erectam sedi apostolicæ immediate subjectam semper, et perpetuo fore, et esse eadem apostolica auctoritate declaramus. Cum autem diœcesis Supraslìensis, illiusque ecclesiæ episcopalis respective territorium constitui debeat ex illis diœcesum portionibus ejusdem Græco-Rutheni uniti ritus sub prædicti Friderici Guillelmi regis temporali dominio prædicto existentibus ad hoc, ut oves distractæ ad proprium perducantur ovile, simulque providus pastor præfinitos habeat agrorum limites, ubi illas pascuis doctrinæ salubribus valeat saginare.

Dismembrationes aliarum diœcesum pro nova erigenda.

§. 8. Cumque, sicut accepimus, pro infrascriptæ dismembrationis executione procedendum in primis sit a diœcesi Kioviensi, et a diœcesi Bretensi Lithuaniæ in longum præter civitatem Varsaviensem per Nos nuper apostolica auctoritate prædicta erectam, in qua unica dumtaxat reperitur monachorum prædicti ordinis sancti Basilii regularis domus, quam vocant residentiam a fluvio Niemeri ad fluvium Bug numerando triginta milliaria, in cujus meditullio prædictum Supraslìense, ut præfertur, nuncupatum extat monasterium; in latum vero quoniam declive procedit ad summum ad duodecim, ad minimum autem ad quatuor milliaria protenditur; adsint præterea futuræ diœcesi hujusmodi adiicienda viginti septem oppida, et quadringentæ septuaginta quatuor villæ, in quibus ecclesiæ Kioviensi avellendæ triginta una, et ex Bretensi respective ecclesiis triginta septem adnumerantur, quarum quidem ecclesiarum respective parochiani sacramentorum pœnitentiæ, et eucharistiæ capaces quadraginta quinque millium, et ultra numerum constituunt, minime tamen comprehendendo parochianos Latini ritus, qui duas ubique locorum in iis partibus distinctas habent parochiales ecclesias: inter has ecclesias præter monasterium Supraslìense prædictum sint duæ regulares domus, quæ residentiæ itidem appellantur, eidem monasterio per primævas suas fundationes annexæ, ad quas pro habitatione monachi ejusdem ordinis ab ipso monasterio transmittuntur, scilicet residentia Kuanicensis in Borussia novo orientali septem millia-

ribus, et Varsaviensis in Borussia meridionali triginta duobus milliaribus a monasterio prædicto distantes post secutam divisionem regni Poloniæ; reperiatur insuper in Borussia novo orientali residentia itidem monochorum prædicti ordinis sancti Basilii in civitate Drogiezya quatuordecim milliaribus ab eodem monasterio dissita antea ad provinciam Lithuanam pertinens, quæ a dilecto filio moderno generali prædicti ordinis sancti Basilii Magni ex re mutati dominii abbati monasterii hujusmodi extitit subjecta; Knanicensis, et Varsaviensis residentiæ hujusmodi suas habeant parochiales ecclesias, earumque pastores curam animarum parochianorum sui ritus exerceant. Ac demum Drochiensis quoque residentia pro sacris peragendis missionibus pie reperiatur fundata, in quibus quidem regularibus domibus, seu qualibet residentia hujusmodi tres ejusdem ordinis monachi continuo commorantur.

Erectio novæ dioecesis.

§. 9. Ac præter prædictas residentias nulla amplius nec virorum, nec monialium ejusdem Græco-Rutheni, uniti ritus enumerentur monasteria. Nos propterea prædictum Suprasliæ locum, et cum eo monasterium prædictum, ac superius descriptas illarum diœcesum portiones, ubi oppida, loca, villæ, ecclesiæ, et regulares domus, seu residentiæ hujusmodi prædicti Græco-Rutheni uniti ritus, ut præfertur, consistunt, quæque temporali prædicti Friderici Guillelmi regis dominio subsunt, ab eisdem diœcesibus, ubi oppida, loca, villæ, ecclesiæ et regulares domus, seu residentiæ hujusmodi comprehenduntur dicta apostolica auctoritate perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, dictumque Supraсliæ locum, unaque simul monasterium prædictum, ac hujusmodi diœcesum portiones, in quibus oppida, loca, villæ, ecclesiæ, et regulares domus, seu residentiæ hujusmodi, ut præfertur, consistunt, et in eis quoque contentas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, et presbyteros quoscumque cujusvis status, gradus, ordinis, et conditionis, dummodo tamen ejusdem Græco-Rutheni uniti ritus existant, ab ordinaria jurisdictione, potestate, et superioritate venerabilium fratrum Nostrorum modernorum, et pro tempore existentium illarum ecclesiarum respective præsulum, quibus modo subesse dignoscantur, dicta apostolica auctoritate perpetuo disjungimus, atque eximimus: ac locum Supraсliæ prædictum in civitatem episcopalem per Nos, ut præfertur, erectum, et monasterium hujusmodi, nec non memoratas illarum diœcesum portiones, oppida, loca, villas, ecclesias, et regulares domus, seu residentias hujusmodi, ut præfertur, complectentes, et in eis itidem, ut præfertur, contentos utriusque sexus habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, et presbyteros superius expressos prædicti Græco-Rutheni uniti ritus novæ ecclesiæ episcopali Suprasliensi, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo, ita quod liceat personæ ecclesiæ episcopali Suprasliensi per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ tam a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum dicta apostolica auctoritate præficiendæ per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi regiminis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicto Supraсliæ loco, et monasterio, prædictisque oppidis, locis, et villis sic per Nos ab eisdem diœcesibus, ut præfertur, dismembratis, divisis, et separatis propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere: venerabilis quoque fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Kioviensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo assignamus, et respective supponimus, atque subiicimus.

§. 10. Et quoniam, sicut pariter accepimus, ejusdem monasterii monachi prædicti animarum curam in villis circa monasterium ipsum existentibus, quæ a parochialibus ecclesiis sunt remotiores, exercent; cum consensu vero parochorum loci, dum constituetur episcopus facile foret propinquiores villas ecclesiæ cathedrali per Nos, ut præfertur, erectæ adjungere, curamque animarum hujusmodi monachis sæpedictis committere; eidem propterea primo futuro Suprasliensi episcopo, ut ipse id pro sui arbitrio, et conscientia, servatis tamen de jure servandis facere, et exequi libere, et licite possit, et valeat plenam, et absolutam licentiam, et facultatem dicta apostolica auctoritate tribuimus, et impertimur.

Providetur curæ animarum monachis antea concreditæ.

§. 11. Utriusque vero mensæ episcopalis scilicet et capitularis dotationi, quam prædictus Fridericus Guillelmus rex, ut quoque accepimus, in se su-

Mensibus episcopali, et cathedrali providetur.

scepit constituendam providere volentes, adhoc ut primo futurus, et pro tempore existens Suprasliensis episcopus pontificalem dignitatem decenter tenere, ac futuri quoque, et pro tempore existentes capitulum, et canonici dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ congrue substentari, ac onera eis, et eorum cuilibet respective pro tempore quomodolibet incumbentia supportare respective valeant, primo futuro, et pro tempore, ut præfertur, existenti Suprasliensi episcopo prædicto videlicet summam quatuor millium talerorum Borussicorum e regio ærario quotannis in parata pecunia pendendam; capitulo vero, et canonicis prædictis pro prædictarum duarum dignitatum, ac quatuor canonicatuum, et præbendarum per Nos, ut præfertur, erectarum, et erectorum respectiva dote congruam itidem annuam summam ex regia liberalitate illas, et illos pro tempore respective obtinentibus annuatim pariter tribuendam. Ita quod liceat eidem primo futuro, et pro tempore existenti Suprasliensi episcopo prædicto, videlicet prædictam jam sibi, ut præfertur, attributam, seu designatam; dignitates vero, ac canonicatus, et præbendas per Nos, ut præfertur, respective erectas, et erectos pro tempore respective obtinentibus, eis, ut præfertur, tribuendam respective summas hujusmodi respective percipere, exigere, levare, et in eorum, ac episcopalis, et capitularis respective mensarum per Nos, ut præfertur, erectarum respective usus, et utilitatem convertere, cujusvis quoque licentia desuper minime requisita.

*Concessio palatii pro episcopo.*

§. 12. Eidemque primo futuro, et pro tempore existenti Suprasliensi episcopo palatium in parte ædificii ejusdem monasterii juxta combinationem cum illius monachis prædictis jam factam, quod satis decens, et pro commoda episcopi habitatione sufficiens existit, sumptus tamen aliquos pro illius restauratione, et conservatione requiret, et licet eidem monasterio sit conjunctum, segregatos tamen ab illo habet aditus; in quo quidem palatio idem primo futurus, et pro tempore existens Suprasliensis episcopus residentiam suam facere debebit dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo respective concedimus, et assignamus.

*Concessio insignium pro capitulo.*

§. 13. Ac propterea iisdem primo futuris, et pro tempore existentibus dictae cathedralis per Nos, ut præfertur, erectae praepositis, seu praelatis, ac canonicis, ut ipsi, eorumque in singulis dignitatibus, ac canonicatibus, et praebendis respecive successores pro majori dictae cathedralis ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae decore, et in ea divini cultus augmento, et ad ingerendam in animis populorum erga Dei ministros in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta ecclesiasticis ministeriis, et officiis addictos majorem venerationem consuetam pectoralem crucem juxta formam ab eodem primo futuro Suprasliensi episcopo praefiniendam tam in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta, quam extra, cum in processionibus, et funeralibus, anniversariis, et aliis quibuscumque actibus, et functionibus publicis, et privatis, ac inter missarum, et horarum canonicarum diurnarum, ac vesperarum, aliorumque divinorum officiorum hujusmodi celebrationem, ac etiam extra prædictam civitatem, et diœcesim Suprasliensem per Nos, ut præfertur, erectas, et ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis etiam in præsentia dictorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium etiam de latere legatorum, vice-legatorum, et Sedis apostolicæ prædictæ nuntiorum, archiepiscoporum, et episcoporum, ac ordinarii etiam proprii, vel aliorum quorumcumque deferre, et gestare, illaque respective uti libere, et licite possint, et valeant.

*Privilegia, et aliæ gratiæ concessæ.*

§. 14. Ac ulterius ut ipsi, et eorum quilibet, nec non ipsorum officiales, et ministri, nec non res, bona, proprietates, et jura quæcumque omnibus, et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliæ similes illarum partium cathedrales ecclesiæ ejusdem ritus, eorumque capitula, canonici, ac dignitates in eis obtinentes, illarumque ministri, ac bona, jura, res, proprietates de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, seu privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, ac æque principaliter absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordina-

tionibus apostolicis non repugnent, etiam uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant perinde ac si eis specialiter, nominatim, et expresse concessa fuissent dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo respective concedimus, et indulgemus.

Jus condendi statuta pro eodem capitulo.

§. 15. Cæterum, ut recta in prædicta cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta in iis, quæ illius capitulum concernunt, ecclesiastica disciplina servetur, eisdem primo futuris, et pro tempore existentibus dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ præpositis, seu prælatis, singulisque canonicis, ut ipsi capitulariter congregati pro dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque mensæ capitularis, nec non sacristiæ, eorumque respective rerum, et bonorum, ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, et felici statu, regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis nunc, et pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum, et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, pœnarum per absentes, et divinis officiis hujusmodi suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet respective incumbentia incurrendarum incursu servitio chori præstando singulorum præsentiis notandis, cæremoniis, ac ritibus in prædicta cathedrali ecclesia per Nos, ut præfertur, erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus capitularibus hujusmodi servandis, officialibus, et ministris dictæ cathedralis ecclesiæ per Nos, ut præfertur, erectæ necessariis deputandis, et amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis, et stipendiis præstandis, ac quibuscumque aliis rebus in præmissis, et circa præmissa quomodolibet necessariis, et opportunis, quæcumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac eisdem sacris canonibus, et concilii Tridentini prædicti decretis hujusmodi minime adversantia, et per futurum Supraslienſem episcopum prius examinanda, et approbanda edere, et edita, prævia dicti futuri episcopi approbatione, declarare, interpretare, et in meliorem formam redigere, et reformare, seu etiam alia de novo, ex integro, eisdem tamen sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque prædictis minime adversantia, et ut præfertur, per dictum episcopum prius examinanda, et approbanda, ac per eos, ad quos spectat, et pertinet, ac pro tempore spectabit, et pertinebit observanda sub pœnis in contravenientes infligendis similiter edere libere, et licite possint, et valeant plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apostolica auctoritate perpetuo concedimus, et impertimur.

Omnia juris remedia tolluntur, quæ obstare possent in nova erectione.

§. 16. Ac erectionem, institutionem, declarationem, dismembrationem, divisionem, separationem, disjunctionem, exemptionem, suppositionem, subjectionem, utriusque licentiæ, et facultatis impartitionem, concessionem, assignationem, indultum, nec non easdem præsentes semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac ullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo, quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, et invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut quocumque alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliave ratione, vel causa quantumvis justa, rationabili, juridica, pia, privilegiata, et tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris hujusmodi, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et po-

testatis plenitudine similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de iisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 17. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ cardinales etiam de latere, ut præfertur, legatos, dictæque Sedis nuncios hujusmodi, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane dicta apostolica auctoritate motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 18. Postremo autem desiderantes, ut singula præmissa sic per Nos, ut præfertur, ad spiritualem animarum salutem, divinique numinis gloriam, ut præfertur, disposita, et ordinata debitæ exequutioni demandentur, et quæcumque obstacula, quæ forsan desuper oriri possent, dirimantur; hinc prædictum Onuphrium Cajetanum, ut præfertur, modernum episcopum Plocensem in executorem pro executione tantum earumdem præsentium apostolica auctoritate prædicta constituimus, et deputamus. Eidemque Onuphrio Cajetano episcopo facultatem, ut ipse dilectum etiam filium suum in spiritualibus vicarium generalem, sive officialem, aut quamcumque personam in dignitate tamen ecclesiastica constitutam pro hujusmodi executionis effectu subdelegare libere, et licite possit, ac tam eidem Onuphrio Cajetano episcopo, quam vicario, aut officiali, vel delegato hujusmodi, ut ipsi, et eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen quæ fuerint de jure servanda, definitive pronunciare libere quoque, et licite valeant, ac respective valeat eadem apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum

§. 19. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de dismembrationibus, et unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii uniones, et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, quæ dismembrationem hujusmodi patiuntur, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et for-

ma in illis tradita observata etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad præmissorum validissimum effectum motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ erectionis, institutionis, declarationis, dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, suppositionis, subjectionis, licentiæ, et facultatis impartionis concessionis, assignationis, indulti, decreti, constitutionis, deputationis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum prope Florentiam in cœnobio Carthusianorum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pridie nonas martii, pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

## MCLV.

Dat. die 1 aprilis 1798 anno XXIV.

Facultas archiepiscopo Limano elevandi ritum officii exaltationis sanctæ crucis ad dupl. secundæ vel etiam primæ classis sine octava.

Venerabili fratri archiepiscopo Limano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Vasquez de Noboa y la Plaza Maldonado, Limanus, quod ipse, pro eo, quo cum suis concivibus in Christi Domini passionem afficitur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuæ, ut, inspectis omnibus circumstantiis, ritum officii exaltationis sanctæ crucis pro clero sæculari, et utriusque sexus regulari ejusdem civitatis Limanæ a dupl: maj: ad dup: vel secundæ, vel primæ etiam classis sine octava, prout magis in Domino expedire judicaveris, elevare pro tua prudentia, et conscientia auctoritate Nostra apostolica possis, et valeas facultatem tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud monasterium ordinis monachorum Carthusianorum extra moenia civitatis Florentinæ sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

---

## MCLVI.

Dat. die 10 aprilis 1799 anno XXV.

Instantibus monachis monasterii Præmetensis ordinis Cisterciensis Posnaniensis diœcesis indulgetur eisdem, ut deinceps pro abbate perpetuo prior triennalis eligatur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem ea, quæ ad utilitatem, et regularium ordinum commodum spectare quodammodo cognoscuntur, pro sui pastoralis officii ministerio concedere, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi ordinis Cisterciensis monasterii Præmetensis Posnaniensis diœcesis in Borussia meridionali, quod cum jamdudum suum monasterium pene totum fuerit igne consumptum, ac satis ampla sua ecclesia novissimis temporibus fuerit turbine miserrime concussa, quo monasterii fabrica alias incœpta perficiatur, atque ecclesia opportunis, atque necessariis reparationibus firmetur, grandes sumptus omnino requiruntur, quibus res familiaris ejusdem monasterii facere satis haud valet; hinc ipsi post obitum ultimi abbatis regularis ejusdem monasterii capitulariter coacti suæ regulari communitati quammaxime utile fore unanimi fere consensu censuerunt, ut deinceps pro abbate regulari a vocalibus prior triennalis eligatur, quatenus hisce desuper Nostrum, et apostolicæ Sedis sibi indultum suffragetur et licentia, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur hisce, aliisque rationabilibus de causis adducti, ac precibus regis Borussiæ hisce desuper Nobis humiliter porrectis annuere cupientes, ac eorumdem exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eisdem exponentibus, ut monachi vocales deinceps pro abbate perpetuo dicti monasterii priorem triennalem, non attenta nativæ nobilitatis qualitate, servatis tamen in reliquis ejusdem monasterii in electionibus abbatum statutis, et constitutionibus, quibus per præsentes derogare non intendimus, eligere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Declaratio specialis.

§. 4. Quocirca, ut prior triennalis hujusmodi, ut præfertur, deinceps eligendus, durante triennio hujusmodi omnibus, et singulis juribus, auctoritate, jurisdictione, facultatibus, gratiis, indultis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis uti, frui, et gaudere debeat, auctoritate, et tenore prædictis statuimus, atque decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, aliisque arbitrio Nostro infligendis pœnis omnibus, et singulis dicti monasterii monachis, cæterisque, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, ut priorem triennalem deinceps juxta tenorem præsentium canonice eligendum, suo munere, illiusque libero exercitio juxta earumdem præsentium tenorem fungi sinant, et permittant, eique in omnibus, et per omnia ad munus, et officium hujusmodi pertinentibus, et quomodolibet spectantibus prompte pareant, et obediant, faveantque, et adsistant.

Clausulæ sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ac quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit

in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Parmæ sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

---

## MCLVII.

Dat. die 10 aprilis 1799 anno XXV.

Confirmatio electionis s. Antonii abbatis in patronum præcipuum loci de Aleazar y Barxis Granatensis diœcesis.

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus sæcularis, ac regularis, nec non populus, ac corpus administrator loci de Aleazar y Barxis Granatensis diœcesis, quod cum ipsi legitime coacti juxta constitutionem felicis recordationis Urbani pp. VIII. prædecessoris Nostri in præcipuum loci prædicti patronum sanctum Antonium abbatem, quem speciali animi devotione prosequuntur, elegerint, quo electio hujusmodi firmius subsistat, ac servetur exactius apostolicæ auctoritatis patrocinio per Nos communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem exponentium votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac illorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratam electionem sancti Antonii abbatis in præcipuum dicti loci de Aleazar y Barxis patronum, ut præfertur, legitime factam auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus. Quocirca solemni ejusdem sancti Antonii abbatis festivitati, quæ in posterum celebrabitur, omnes, et singulæ prærogativæ, quæ festis diebus aliorum sanctorum patronorum principalium quomodolibet competere reperiuntur, auctoritate, et tenore prædictis pariter concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Parmæ sub annulo piscatoris, die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

Dat. die 10 aprilis 1799 anno XXV.

## MCLVIII.

Instantibus monachis ordinis Cisterciensis monasterii Præmetensis Posnaniensis diœcesis indulgetur, ut priores triennales dicti monasterii deinceps eligendi regulares novitiorum professiones recipere possint.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Cum Nos hodie per Nostras in simili forma Brevis expeditas literas ad preces dilectorum filiorum monachorum ordinis Cisterciensis monasterii Præmetensis Posnaniensis diœcesis pluribus justis de causis adducti eis concesserimus, ut pro abbate regulari perpetuo dicti monasterii prior triennalis deinceps eligatur: iidem monachi Nobis insuper supplicari fecerunt, ut eidem priori sic deinceps eligendo facultatem admittendi regulares novitiorum dicti monasterii professiones indulgere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem priori triennali, ut præfertur deinceps eligendo, ut solemnia religionis vota, quæ a novitiis dicti monasterii in abbatum manibus nuncupari solebant, in posterum admittere, ac recipere, servatis alias servandis libere, ac licite possit, et valeat, ita ut professio hujusmodi sic a novitiis prædictis emissa valida sit, ipsisque suffragetur in omnibus, et per omnia perinde ac si in manibus abbatum ejusdem monasterii pro tempore existentium emissa esset, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Parmæ sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

---

Dat. die 25 augusti 1799 anno XXV.

## MCLIX.

Facultas episcopis Hispaniarum, et Americæ, ut ad dimittendum publicum debitum convenire possint in alienationem bonorum ad nosocomia, hospitia, aliaque loca pia spectantium, ita tamen ut ab ærario regio eisdem locis piis solvantur fructus trium in singula centena et annos.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis cæteris locorum ordinariis regnorum, ac insularum tam citra, quam ultra mare carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subjectarum.

### Pius PP. VI.

Venerabilis frater, ac dilecti filii Salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Quoties animo repetimus, in quæ difficillima incidimus tempora, inter ipsas tribulationes, quæ invenerunt Nos nimis, et quibus nisi gratia Jesu Christi adjuvasset Nos, certo obrueremur, Nobis visum est, haud inopportunum fore, si precibus carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac de Christiana republica optime meriti Nobis humiliter porrectis obsecundaremus. Proemium.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 2. Nobis siquidem ejusdem Caroli regis catholici nomine expositum fuit quod cum debitum publicum adeo excreverit, ut immensa sint pertimenda damna in suos subditos, quod ipse maturo considerans nil opportunius inter cætera remedia futurum fore duxit, quam si venditis, ac alienatis fundis, ac bonis ad nosocomia, hospitia, brephotrophia, confraternitates, cæteraque opera pia, ac jurapatronatus laicalia, nec non ad cappellanias collativas, aliasque ecclesiasticas fundationes similis jurispatronatus etiam ecclesiastici quomodolibet pertinentibus, et spectantibus, ac inter limites suæ ditionis consistentibus illorum pretium in dimissionem, atque extinctionem publici æris alieni hujusmodi erogetur, pollicita interim fundorum, ac bonorum hujusmodi possessoribus quadranti usura eis per regium ærarium solvenda. Quod quidem si a Nobis ei concedatur nedum in præjudicium, sed in manifestum eorumdem bonorum piorum, ac fundationum utilitatem convertetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ejusdem Caroli regis catholici votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitatibus, ac discretionibus vestris respective per præsentes committimus, ac mandamus, ut quatenus vobis constet de evidenti locorum piorum, etiam ecclesiasticorum utilitate pro ea tantum parte fundorum, ac bonorum hujusmodi, quorum alienatio, ac distractio erit utilis, quibus desuper uniuscujusque vestrum conscientiam districte oneramus, ac dummodo fructus trium in singula centena pretii, quod ex publicatis, ac venditis bonis habitum erit, et ab aerario regio persolvendi adeo certe constituantur, ut nullo unquam casu fructus hujusmodi deficere, aut illorum perceptio intercipi possit, alienationem, ac distractionem fundorum, ac bonorum hujusmodi intra uniuscujusque vestrum diœcesum limites consistentium absque ullo suspensionis, interdicti, aliarumque ecclesiasticarum pœnarum incursu, servata tamen in venditionibus, ac alienationibus hujusmodi constitutionum apostolicarum forma ex speciali dono gratiæ nunquam in exemplum traducendæ auctoritate Nostra apostolica pro vestro arbitrio, et conscientia permittatis.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quorumcumque piorum testatorum, aliorumque fundatorum dispositionibus, etiam ultimis voluntatibus, quibus per præsentes in ea tantum parte, quæ huic indulto adversatur, expresse derogamus, apostolicis, ac in universalibus, vel provincialibus, ac synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non eorumdem locorum piorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac si-

gillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

---

Dat. die 25 augusti 1799 anno XXV.

## MCLX.

Facultas regi catholico erogandi fructus commendarum quatuor ordinum militarium Hispaniarum nunc vacantium, ac deinceps vacaturarum in extinctionem hodierni aeris alieni vulgo della Corona, et quatenus opus sit etiam aliquam bonorum partem ad easdem commendas pertinentium alienandi.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico

Pius PP. VI.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 1. Majestatis tuæ nomine nuper Nobis expositum fuit, quod cum tuum regium aerarium, ad nationis Hispanæ decus tuendum, ac gravibus status necessitatibus satisfaciendum impar omnino sit, tu, qui perpetuus administrator quatuor militiarum, seu militarium ordinum de Alcantara scilicet, sancti Jacobi de Spatha, de Calatrava, et Sanctæ Mariæ de Montesa auctoritate apostolica deputatus existis, ac ut hisce incommodis aliquod promptum, ac præsens remedium adhibeatur vehementer exoptas, ut fructus, redditus, et proventus quoscumque omnium, et singularum præceptoriarum, seu commendarum earumdem quatuor militiarum, seu militarium ordinum tum in præsentiarum vacantium, tum in posterum vacaturarum in dimissionem regii aeris alieni, vulgo della Corona erogare, ac quatenus regii aerarii necessitatibus sic satis consultum haud sit, etiam bona militiarum hujusmodi publicare, ac vendere possis, per Nos tibi concedi summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur cum tua religio, ac pietas Nobis quammaxime explorata sit, quamobrem confidimus fore, ut præsenti indulto, ac gratia, nisi ubi vera necessitas postulet, usurus sis, tuis votis quantum cum Domino possumus annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, majestati tuæ, ut deputatis administratoribus omnium, et singularum præceptoriarum, seu commendarum quatuor militiarum, seu militarium ordinum prædictorum tum nunc vacantium, tum in posterum quomodolibet vacaturarum, illarum fructus, redditus, ac proventus quoscumque in dimissionem hodierni regii aeris alieni vulgo della Corona erogare, ac quatenus indultum hujusmodi satis haud reperiatur ad redimendum aes alienum, ut præfertur, vulgo della Corona contractum, ac urgentes regii aerarii necessitates id omnino postulent, etiam aliquam partem bonorum ad easdem militias, seu militares ordines spectantium publicare, distrahere, ac vendere, illorumque pretium in causam prædictam conferre libere, ac licite possis, et valeas auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non earumdem militiarum, seu militarium ordinum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus

efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

# PIUS VI.

## APPENDIX

Cum in operis prosecutione variae repertae fuerint apostolicae literae, hinc extra ordinem juxta earum publicationem hic recensentur

Dat. die 24 maii 1785 anno XI.

### MCLXI.

Confirmatio decreti congregationis rituum super recitatione officii et missæ de beato Sisebuto abbate.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Tenor decretorum s. congregationis Rituum.

§. 1. Alias emanavit a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum decretum tenoris sequentis videlicet.

Die xv. martii.

IN FESTO

BEATI SISEBUTI

SANCTI NUNCUPATI

Abbatis ordinis sancti Benedicti

Omnia de communi cum sequenti oratione

*Oratio*

Accende, quæsumus Domine, in cordibus nostris ignem tui amoris, ut beati Sisebuti abbatis sancta exempla imitemur, ejusque intercessione gaudia æterna consequamur. Per Dominum Nostrum etc. in unitate Spiritus Sancti etc.

*Burgensis*

Porrectis sacræ Rituum congregationi humillimis precibus ex parte reverendissimi archiepiscopi civitatis Burgensis, et pp. abbatis, et monachorum monasterii sancti Petri Caradignensis dictæ archidiœcesis pro concessione officii, et missæ de communi cum suprascripta oratione propria beati Sisebuti abbatis sancti nuncupati ordinis sancti Benedicti recitandi die decima quinta martii, sacra eadem congregatio ad relationem eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis Boschi ponentis, petitam concessionem cum suprascripta oratione propria, ab eodem eminentissimo ponente revisa, et adprobata in memoriam ejusdem beati sub ritu duplicis minoris a monachis monasterii sancti Petri de Cardena; ab universo vero clero dictæ civitatis et archidiœcesis sub ritu semiduplicis benigne concessit, si sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die trigesima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo quinto.

Et facta deinde per me secretarium de prædictis eidem sanctissimo domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die quarta maii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto.

*I. card. Archinto præf.*

Julius Maria de Somalia S.R.C. secret.

Loco ✠ signi

Preces porrectæ pro eorum confirmatione.

§. 2. Cum autem sicut venerabilis frater modernus archiepiscopus Burgensis, ac dilecti filii abbas, et monachi dicti monasterii sancti Petri Caradignensis ordinis sancti Benedicti Burgensis diœcesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; præinsertum decretum hujusmodi cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictæque civitatis, ac diœcesis Burgensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta maii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. die 11 januarii 1786 anno XII.

## MCLXII.

Erectio montis nuncupati = di Porzioni vacabili = pro extinctione cartæ papyraceæ usque ad scuta quindecim centena millia.

R. P. D. thesaurarius publicat apostolicas literas expeditas pro novi montis erectione.

§. 1. Quantunque da alcune operazioni economiche, che si è avuta la opportunità di eseguire, si vegga diminuita in parte la difficoltà del commercio riguardo alla moneta, nondimeno perchè la sorgente principale del disordine si rinviene nella disproporzione dell' effettivo contante colle cedole, che lo rappresentano, la Santità di nostro signore intenta sempre alla felicità de' suoi sudditi, ha determinato di erigere un monte di Porzioni vacabili per togliere dalla circolazione delle cedole la somma di un milione, e mezzo di scudi, e così richiamare l' abbondanza della moneta. Noi intanto per dovere del nostro ufficio notifichiamo a tutti la sovrana disposizione del santo Padre; ed acciocchè possa ognuno comodamente esaminare le condizioni vantaggiose, colle quali è invitato ad impiegare il proprio denaro, diamo qui trascritto di parola in parola il pontificio chirografo.

Monsignor Fabrizio Ruffo
Nostro tesoriere generale.

Exponitur ratio, et finis erectionis novæ

§. 2. » La repugnanza, che in molti s' incontra di ricevere le cedole, » domanda a Noi un qualche opportuno riparo, onde si fermi il corso ai » disordini, che vanno seguendo, e si » ristabilisca il commercio nella sua » tranquillità, ed agevolezza. E' noto » a tutti con quanta saviezza ne fu introdotta la invenzione, e come per » la facilità del trasporto, e della custodia l' uso della carta, munita dalla » pubblica fede, meritò di essere preferito all' effettivo contante. E' altresì » a tutti palese consistere il preggio » delle cedole nella reale corrispondenza della somma della moneta alla » somma, che esse rappresentano, della » quale corrispondenza assicurato ognuno dalla publica fede, è naturalmente stimolato a ricercare piuttosto la » carta, che il metallo coniato, pel » maggior comodo, che in quella rinviene. Ed in fatti le cedole furono » sempre in riputazione, fino a tanto » che il rappresentato si tenne in esatta proporzione col rappresentante. Ma » la condizione de' tempi da una parte, » le gravi spese dall' altra sofferte dalla » zecca pontificia, ed altri emergenti » di tratto in tratto sopravvenuti sotto » più pontificati, han fatto sì, che la » somma rappresentata nelle cedole crescesse con notabile disproporzione » sull' effettivo contante; onde è seguita la difficoltà di cambiarle, la inquietudine del pubblico, e la malagevolezza del commercio in tutti i » suoi rami. Ora fra diversi espedienti, » che ci sono stati suggeriti per secondare la viva premura, che abbiamo » di rimetter le cose nell' antico sistema, quello, che ci è sembrato il più » adatto, e che vada alla radice del male, si è di estinguere tante cedole, » quante ne fa d' uopo per ragnagliare » la somma di quelle, che resteranno, » alla somma del contante. A tale effetto oltre gli altri mezzi già posti » in esecuzione, abbiamo giudicato opportuno di erigere, come altre volte » si è fatto, un monte di pietà vacabile in vantaggio di tutti coloro, i » quali vorranno con onesto profitto » impiegare il loro denaro, con espresso » intendimento, che tutto il capitale, » che da tale invito ritrarrassi, serva » alla sollecita estinzione di altrettante cedole.

Tenor erectionis.

» §. 3. Col presente Nostro chirografo adunque, in cui abbiamo per » espressa qualunque cosa, quanto si » voglia necessaria d' esprimersi, e degna di speciale, ed individua menzione, di Nostro moto proprio, di » certa scienza, e colla pienezza della » Nostra suprema, ed assoluta potestà, » ordiniamo a voi, che erigiate, ed » instituiate, siccome Noi erigiamo, » ed instituiamo, un monte di porzioni vacabili componenti la somma » di un milione, e mezzo di scudi » Romani, da nominarsi porzioni vacabili del sacro monte della Pietà di » Roma coll' infrascritte condizioni.

Conditiones appositæ.

§. 4. » Primo, ogni porzione sia » del valore, e del capitale di scudi » cento. Secondo, che l' annuo fruttato » certo sia al cinque per cento, da pagarsene le rate posticipatamente di » bimestre in bimestre. Terzo, che possano rassegnarsi in qualunque età a » favore di tutte le persone capaci di acquistare monti vacabili anche a ragione di centesimi, purchè la rassegna si faccia, come è uso, in istato » di perfetta salute. Quarto, che le porzioni, le quali per morte de' porzio-

» narj senza preventiva legittima rassegna vacheranno, e ricaderanno, non debbano più vendersi, e rassegnarsi, ma vadino a beneficio, e vantaggio del sacro monte di Pietà. Quinto, che possano mettere il loro vacabile sopra due teste quelle persone, che ne faranno per la prima volta l'acquisto.

*Ex pretio retrahendo præcipitur extinctio cædularum pro intranti quantitate.*

§. 5. » Con questi patti, e capitoli, ed altri, che a voi parrà di aggiungere per la migliore esecuzione della sovraindicata Nostra volontà, erigerete le anzidette porzioni vacabili fino all'enunciata somma di un millione, e mezzo di scudi Romani, delle quali porzioni vogliamo, che dichiariate, siccome Noi dichiariamo creditore lo stesso monte di Pietà di Roma, il quale sia tenuto col denaro, che ritrarrà dalla vendita delle suddette porzioni estinguere immediatamente altrettante cedole. Accioché poi i concorrenti sieno perfettamente tranquilli sulla sicurezza del denaro, che piacerà loro d'investire nella divisata maniera; è Nostra mente, che rimangano obbligati, siccome voi obbligarete, non solo tutti i beni, e tutti gli effetti dell'accennato monte di Pietà, ma tutti quegli ancora della Nostra camera apostolica. E trattandosi di materia vacabile, vogliamo, che della rassegna sia incaricato, conforme voi incaricarete, l'amministratore delle componende, e che la computisteria de' luoghi de' monti abbia la incombenza di tenere il conto de' capitali, e di formar le liste per pagare i porzionari, ed inoltre che si destini dal medesimo monte una stanza a parte, ed un pagatore pe' frutti.

*Concessio judicis privativi in causis, et controversiis portionariorum.*

§. 6. » A tal fine vi diamo, e concediamo l'autorità non solo di eseguire tutto ciò, che sinora abbiamo ordinato, ma la giurisdizione ancora privativa ad ogni altro giudice, e tribunale, di procedere, conoscere, e giudicare in tutte, e singole cause, e controversie, che sopra le nominate porzioni vacabili, e loro porzionari, e da quelle, e quelli dipendenti in qualunque tempo insorgessero, e sopra tutt'altro, che potesse appartenere alla provvida direzione, ed amministrazione delle medesime porzioni vacabili, comunicandovi Noi tutte le più ample facoltà in qualunque modo necessarie, ed opportune di pubblicare editti, pronunciar decreti esecutoriali, e far tutt'altro, che vi parrà espediente per l'adempimento della presente Nostra disposizione, essendo così mente, e volontà Nostra espressa, e precisa.

*Clausulæ salutares, et irritantes, cum derogatione contrariorum.*

§. 7. » Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne' suoi libri secondo la Bolla di Pio IV. Nostro predecessore = *de registrandis* = vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, ed esecuzione colla semplice Nostra sottoscrizione, nè gli si possa mai in alcun tempo opporre la taccia di sorrezione, ed orrezione, o altro qualunque difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba giudicarsi, definirsi, ed interpetrarsi dal rmo cardinal camerlengo, da voi, e da qualsivoglia giudice, e tribunale abbenchè collegiale, e composto di rmi cardinali, tolta loro, ed a ciascuno di essi la facoltà di poter giudicare, definire, ed interpetrare diversamente, dichiarando Noi preventivamente fin d'adesso nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, e sentiti, gli altri provvisori, e deputati del Nostro monte di Pietà, nè monsignor commissario della Nostra camera, e qualunque altra persona, che vi avesse, o potesse avervi interesse, non ostante la Bolla del detto Pio IV. = *de bonis Ecclesiæ, et cameræ non alienandis*, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, privilegj, usi, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il loro tenore, qui per espresso, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema podestà a qualunque vizio, e difetto anche sostanziale, e formale, per questa sola volta, ed all'effetto premesso, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano questo dì 11. gennaro 1786.

PIUS PAPA VI.

Declaratio specialis

§. 8. Si avverte in fine per istruzione del pubblico, che chiunque attenderà all' acquisto degl' indicati vacabili, sarà esente da ogni spesa di spedizione, e di componenda, nè soggiacerà ad altro pagamento, fuori che a quello tenuissimo della sola patente. Dalla nostra solita residenza nel palazzo di Monte Citorio questo dì 17. gennaro 1786.

---

Dat. die 4 augusti 1786 anno XII.

## MCLXIII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Pacifici a sancto Severino ordinis sancti Francisci de observantia.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Cum arcta sit via, quæ ducit ad vitam, arduus, atque angustus limes, et nemo tutus per eum ingrediatur, et ad culmen securus pertingat, nisi vestigiis insistat Christi Domini dicentis; si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me; qui cupimus esse christiani, debemus carnem nostram crucifigere cum vitiis, et concupiscentiis, ut, quod Christus dixit, et fecit, imitemur, et sic vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, et respondeat ad fidem nominis sectatio veritatis.

Laudes Servi Dei,

§. 2. Cum autem hos inter Dei athletas, qui aspera, et laboriosa hac via incesserunt, atque accincti robore, et ex alto virtute induti, spiritu facta carnis, mortificantes, in auctorem fidei, et consumatorem Jesum aspicientes tribulationes, et passiones hujus seculi fortiter sustinuerunt, longe, lateque refulserit Dei servus Pacificus a sancto Severino ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum, sacerdos professus qui portans jugum ab adolescentia sua pœnitentiæ austeritatem cum vitæ candore usquequaque conjunxit, ac in omnibus, præcipue vero in ærumnis, in vigiliis multis, in jejuniis, in corporis demum cruciatibus, quibus in extrema vitæ suæ periodo afficiebatur, exhibuit seipsum discipulum, ac imitatorem Christi Domini; ut universis Christifidelibus uberiora quotidie suppetant ad imitandum exempla, et in patrocinio præsidia; Nos in suprema universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, sed inscrutabili divinæ sapientiæ consilio constituti ministerio Nostro congruum esse intelligimus, ut ad omnipotentis Dei gloriam, et Ecclesiæ catholicæ decus, quantum Nobis ex alto conceditur, ejusdem servi Dei honorem, et venerationem promovere studeamus.

Judicium sacræ congregationis Rituum.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servus Dei Pacificus multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis.

Tenor beatificationis cum concessione missæ, et officii proprii.

§. 4. Hinc est, quod Nos totius antedicti ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati de supradictæ congregationis consilio, et assensu auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei servus Pacificus a sancto Severino in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die ab ordinario, et ordinis prædicti præsulibus, ad quos spectat, designando recitetur officium, et missa de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, ac missalis Romani. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in toto ordine fratrum minorum sancti Francisci reformatorum nuncupatorum, ac in civitate, et diœcesi sancti Severini, in qua dictus servus Dei natus est, et ubi ut plurimum commoratus est, ac ad cælos evolavit, ejusque venerabile corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus

christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, civitatis, et diœcesis dictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinario respective constituta, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia die decima tertia currentis augusti, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem Nostrarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictæ congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

## MCLXIV.

Dat. die 18 augusti 1786 anno XII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Nicolai Factor ordinis fratrum minorum de observantia.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proœmium.

§. 1. Cum ex debito apostolici muneris officio, quod pastorum princeps Christus Dominus per ineffabilem clementiæ suæ abundantiam humilitati Nostræ imponere dignatus est, ea sollicitis studiis curare teneamur, quæ christianam religionem magis adaugere, et christifideles ad pietatem amplius excitare valent, in hac præcipue temporum iniquitate; nihil propterea aptius, nihil opportunius nobis videtur quam illustrium heroum virtutes, quibus catholica Ecclesia diversis illarum coloribus circumornatur, super candelabrum ponere, ut luceant his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes suos in viam pacis.

Laudes servi Dei

§. 2. Quamobrem cum misericordias suas, et divitias bonitatis suæ Deus manifestare voluerit in servo suo Nicolao Factor ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum sacerdote professo, qui postquam lubricum inter blandientis mundi illecebras pueritiæ, ac adolescentiæ iter mira cum morum innocentia confecisset, arduum perfectionis curriculum sub severioris disciplinæ ordinis præfati instituto iniens non solum in omnibus exhibuit se ipsum sicut Dei ministrum, et præcipue in charitate non ficta, qua erga Deum, et proximos mirabiliter æstuavit, verum etiam tanta profecit humilitate, ut cæteris christianam perfectionem inhiantibus facem præferens se maximum inter peccatores constanter affirmaret; unde constans illud desiderium jejuniis, carnisque afflictationibus corpus in servitutem spiritus redigendi, ac quotidie orationi vacandi, in quo usque ad extremum suæ vitæ firmiter hæsit. Inter alia dona divinitus accepta plane mirabiles fuerunt frequentissimæ ecstases, ac raptus, in quibus, dum diu omnibus sensibus destitutus transigeret, in faciem, in oculos, in totum corpus divinæ consolationes non sine magna

spectantium commotione redundabant. Hinc illius honorem, et venerationem ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ decus, catholicæ fidei præsidium, ac spiritualem Christifidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere constituimus.

Judicium sacræ congregationis Rituum.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eumdem servum Dei Nicolaum Factor multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, præfatum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis.

Beatificatio, et concessio missæ, et officii cum orationibus propriis.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, et quamplurium venerabilium fratrum archiepiscoporum, et episcoporum regnorum Hispaniæ, ac totius insuper antedicti ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictæ congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei servus NicolausFactor in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die ab ordinariis, et ordinis præfati præsulibus, ad quos spectat, designanda, recitetur officium et missa, de communi confessoris non pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, ac missalis Romani.

Declaratio specialis.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in toto ordine fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, ac in civitate, et diœcesi Valentina, in qua dictus servus Dei natus est, et ubi ad cælos evolavit, ejusque venerabile corpus requiescit, ac in diœcesi Barchinonensi in qua insignia dedit sanctitatis exempla, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis civitatum, ac diœcesum antedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinario respective constituta, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia die vicesima septima currentis augusti, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictæ congregationis cardinalium subscriptis et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

---

*Oratio*

Orationes in festo beati recitandæ.

§. 7. Deus, qui beatum Nicolaum confessorem tuum ineffabili charitatis tuæ igne succensum te puro corde sectari fecisti; da nobis famulis tuis, ut eodem spiritu repleti, et charitate ferventes, viam mandatorum tuorum inoffenso pede curramus. Per Dominum etc.

*Secreta*

Divini illius amoris incendio, quæsumus, Domine, hæc sacrosancta mysteria jugiter Nos inflamment, quo beatus Nicolaus eadem peragendo mirabiliter æstuabat. Per Dominum etc.

*Postcommunio*

Angelorum panem nutriti, et superna dulcedine perfusi te, Domine, suppliciter exoramus, ut beati Nicolai intercessione, et exemplo corda Nostra a terrenis cupiditatibus sint libera, et ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum etc.

---

Dat. die 18 augusti 1786 anno XII.

## MCLXV.

Beatificatio venerabilis servi Dei Thomæ a Cora ordinis fratrum minorum de observantia.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Dominus, ac servator Noster Jesus Christus, priusquam in ara crucis pro peccatis Nostris hostiam pacificam sese offerret patri, in ipso suæ passionis pervigilio volens omnia præcepta, quæ jam discipulis suis diversis temporibus per vices tradiderat, quasi in unum complecti, fraternam dilectionem eis summopere commendavit: in hoc, ait, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem: quo scilicet ipsi intelligerent, multa quidem esse præcepta, sed omnia in sola dilectione solidari, atque ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur.

Laudes servi Dei.

§. 2. Quamobrem Dei servus Thomam a Cora ordinis fratrum minorum s.Francisci de observantia nuncupatorum sacerdotem professsum profusissimæ charitatis virum, ac proinde omnium virtutum sectatorem admirari satis non potuimus, qui cum a juventute sua coram Deo perfecte ambulasset, ut a sæcularibus curis solutus Deo suo liberius famularetur, ordinem fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum esset ingressus, vix ad sacrum presbyteratus ordinem initiatus adeo proximorum saluti incubuit, ut nec pericula, nec corporis infirmitates, nec fœdum ulcus, quo in crure laborabat, nec frigus, nec æstus a suscepto ministerio deterrere potuerunt; nam omnibus omnia factus, suique oblitus; læto, ac hilari animo omnia suffert, omnia sustinet, modo ut animas Christo Domino Deo suo lucrifaciat. Quapropter compertum fuit apud omnes, virum hunc non absque speciali Dei præordinatione, ac providentia in conventu Civitellæ Sublacensis diœcesis totam fere vitam duxisse, ut inde eximia charitas, qua ejus cor inflammabatur, opere ipso manifestata in spiritualem finitimorum locorum utilitatem verteretur. Apostolici muneris, quod Nos gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut Dei servi honorem, et cultum ad omnipotentis Dei gloriam, catholicæ Ecclesiæ decus, christianique populi consolationem, et ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere studeamus.

Judicium sacræ congregationis Rituum.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, ac virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus dictum servum Dei Thomam multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, prædictumDei servum beatum declarari cum consuetis indultis.

Beatificatio, et concessio missæ, et officii de communi confessorum non pontificis

§. 4. Hinc est, quod Nos totius antedicti ordinis fratrum minorum s.Francisci de observantia nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictæ congregationis consilio, et assensu auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei servus Thomas a Cora in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die a Nobis, et ab ordinariis, ac ordinis prædicti præsulibus, ad quos spectat, designanda, recitetur officium, et missa de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, ac missalis Romani.

Declarationes speciales.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in toto ordine fratrum mi-

norum sancti Francisci de observantia nuncupatorum utriusque sexus, ac in civitatibus Corana, ubi ortum habuit, et Veliterna, totaque ejus diœcesi, nec non in oppidis Civitellæ, ubi plerumque commoratus est, ac ad æterna gaudia evolavit, ejusque venerabile corpus requiescit Sublacensi, et Palumbariæ Sabinensi diœcesibus ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, civitatum, ac diœcesum prædictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio et missa sub ritu duplici majori die ab ordinario respective constituta, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia die tertia mensis septembris, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem Nostrarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictæ congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti eiusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

---

In Festo

# BEATI THOMÆ A CORA

Sacerdotis professi ordinis minorum de observantia sancti Francisci

---

*Oratio*

Orationes recitandæ in festo beati.

§. 7. Deus, qui beatum Thomam tuo amore succensum interiori mortificatione, et eximia in proximum dilectione decorasti: ejus meritis, precibusque concede, ut nosmetipsos pro te abnegantes, et charitatis opera jugiter exequentes, æterna præmia consequi mereamur. Per Dominum etc.

*Secreta*

Illo nos igne Deus miseratus adure, qui beati Thomæ cor, dum hæc sacra perageret, mirabiliter inflammavit. Per Dominum etc.

*Postcommunio*

Spiritum nobis, Domine, tuæ dilectionis benignus infunde, ut quos mysteriis cœlestibus recreasti, interveniente beato Thoma confessore, tua facias pietate concordes. Per Dominum etc.

## DECRETUM

Veliterna, seu Corana

Approbatio orationum

§. 8. Ad humillimas preces p. fr. Luca a Roma sacerdotis professi, lectoris jubilati, et postulatoris generalis dicti ordinis, referente r. p. Carolo Erskine fidei promotore sanctissimus dominus Noster Pius Sextus pontifex maximus suprascriptas orationes proprias in honorem beati Thomæ a Cora adprobavit, easque tam die solemnis beatificationis, quam in posterum in officio, et missa ejusdem beati ab omnibus utriusque sexus in Brevi beatificationis comprehensis recitari posse benigne indulsit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Die decima nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto.

J. card. Archinto præfectus.

Loco ✠ sigilli

Dat. die 22 augusti 1786 anno XII.

## MCLXVI.

Beatificatio servi Dei Gasparis de Bono sacerdotis professi ordinis fratrum s. Francisci de Paula.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Procemium.

§. 1. Cum in Ecclesia Dei in omni ætate nonnulli semper fuerint placentes Deo viri sancti, qui viventes in carne, desideria carnis vicerunt, et cœlestem vitam in terris egerunt, quos justus, et misericors Dominus ante mundi constitutionem elegit, et prædestinavit, quo se in electis suis mirabilem demonstraret, suamque potentiam signis, et virtutibus declararet, ac justorum hominum, quos similes nobis infirmitate circumdatos in terris agnovimus, propositis laboribus, et meritis, segnitiem, ac tarditatem nostram in via virtutis excitaret, et frigescentem accenderet charitatem, pusillorumque, et instabilium corroboraret fidem, atque illorum, qui quoquomodo desciverunt, et naufragaverunt in fide, pravitas coerceretur, et dum ad sacras beatorum reliquias ægroti sanantur, dœmones pelluntur, aliaque plura perpetrantur prodigia, pertinacia confunderetur, intelligentes viros justos, etsi coram hominibus mori videantur, immortalitate tamen plenam esse ipsorum spem, et feliciori vita æternum in cœlis vivere: apostolici nostri muneris est, dum illos cognovimus, eorum cultum, et honorem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere, ac christifidelibus suas virtutes proponere, sperantes fore, ut dum ipsi illorum sanctitatem revereantur, et colunt, patrocinium invocant, et gesta imitari student; Nobis inter hujus mundi fluctus, qui hisce præsertim difficillimis temporibus Nos undique quasi obruunt, navigantibus, suæ intercessionis dexteram porrigant, et adnitentes Nos ad terram viventium pergere, potentissimis quibus valent auxiliis adjuvent, et Nobis opitulentur.

Laudes servi Dei.

§. 2. Inter alios porro, qui placuerunt Deo, quique invenerunt portam angustam, et arctam, quæ ducit ad cœlum, Valentiæ Hispaniarum urbs Nobis opportune suspiciendum exhibet Gasparem de Bono sacerdotem professum ordinis fratrum s. Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, qui nedum in pueritia, sed etiam in adolescentia, vel dum in mercatoris officina suam negotiationi navabat operam, vel præsertim dum militaribus signis conscriptus inter sequioris militum vitæ pericula per integrum decennium vixit, tantum assidua oratione, et christianæ vitæ candore profecit, ut dein in ipsa senectute, cum scilicet jam diu sub suavi religionis jugo christiana perfectio totum hominem possidebat, non semel sui illius ætatis in Dei servitio fervoris memoriam replicavit. Postquam vero religionem ingressus est, novum hominem indutus, suo corpori, ac omnibus carnis concupiscentiis asperum indixit bellum, illudque assiduis jejuniis, ac afflictationibus in servitutem spiritus redigens, omnes blandientis mundi dignitates, et honores fortiter contempsit; tanta porro cura, et diligentia in regulari disciplina versatus est, quam in omni vita, sancte, inviolateque custodivit, ut sua agendi ratio expressa quædam, et vivens regula esse videretur.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus, tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eundem servum Dei Gasparem de Bono multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse quandocumque Nobis videretur, præfatum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis. — Judicium sacræ congregationis Rituum super virtutibus, et miraculis ejus intercessione patratis.

Beatificatio

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, et quamplurium venerabilium fratrum archiepiscoporum, et episcoporum regnorum Hispaniæ, ac totius insuper antedicti ordinis s. Francisci de Paula minimorum nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de supradictæ congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei servus Gaspar de Bono in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis,

seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die ab ordinariis, ad quos spectat, designanda, et ab ordine prædicto die quarta julii recitetur officium, et missa de communi confessoris non pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, ac missalis Romani.

Concessio officii, et missæ propriæ.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in toto ordine fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, ac in civitate, et diœcesi Valentina, in qua dictus servus Dei natus est, et ubi ad cœlos evolavit, ejusque venerabile corpus requiescit; ac in diœcesi Majoricensi, in qua insignia dedit sanctitatis exempla, et inter cujus cives fuit alias cooptatus, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, incboando in ecclesiis ordinis, civitatum, ac diœcesum antedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinario respective constituta, postquam in basilica Nostra s. Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia die decima septembris currentis anni, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictæ congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxii. augusti MDCCLXXXVI. pontificatus Nostri anno duodecimo.

IN FESTO

## B. GASPARIS DE BONO

Sacerdotis professi ordinis minorum s. Francisci de Paula

*Oratio*

Orationes in festo beati recitandæ.

§. 7. Deus, qui beatum Gasparem confessorem tuum insigne tuæ dilectionis, et sacerdotalis ministerii exemplar esse voluisti; da nobis ejus precibus, ut per eadem vestigia gradientes, præmia consequi mereamur æterna. Per Dominum etc.

*Secreta*

Beati Gasparis, quæsumus Domine, meritis, et intercessione spiritum nobis tuæ charitatis infunde, ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse lætemur. Per Dominum.

*Postcommunio*

Refecti cibo potuque cœlesti, te supplices exoramus, omnipotens Deus, ut qui beato Gaspari plenam de mundi illecebris victoriam tribuisti, nos facias ejus imitatione sæculi blandimenta vitare, et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum etc.

### DECRETUM

VALENTINA

Confirmatio orationum prædictarum.

§. 8. Suprascriptas orationes proprias in honorem beati Gasparis de Bono sacerdotis professi ordinis minimorum s. Francisci de Paula, referente r. p. Carolo Erskine fidei promotore, ac humillime supplicante p. fr. Francisco Folch sacerdote professo supradicti ordinis postulatore, ssmus Dominus Noster Pius VI. pont. maximus adprobavit, indulsitque, ut recitari valeant die solemnis beatificationis ejusdem beati Gasparis de Bono, et successive in ejus officio, et missa ab omnibus comprehensis in Brevi ejusdem beatificationis, contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 9. augusti 1786.

J. card. Archinto præfectus

Loco ✠ Sigilli

Dat. die 11 septembris 1786 anno XII.

## MCLXVII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Nicolai a Longobardis oblati professi fratrum ordinis s. Francisci de Paula.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Benedictus Dominus pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui inter assiduos tribulationum, et calamitatum fluctus, quibus hisce luctuosis temporibus pro peccatis nostris affligimur, multiplici spirituali gaudio Nos diebus istis consolari dignatus est. Vere enim magna extitit spiritalis lætitiæ ratio, cum Deus illustrium servorum suorum victorias manifestat, qui telis quidem secularibus spoliati, sed divina virtute armati adversus blandientis mundi insidias, vel frementis infernalis hostis impetus, vel mundanorum turbinum minas, spe vivida, mente incorrupta, constanti fide, charitate ferventi fortes, et stabiles in acie perstiterunt, et bonum certamen, certamen fidei, certamen spiritale, prælium Christi ita decertarunt, ut gloriosum cursum consumarint, atque immarcescibilem coronam de manu Dei promeruerint.

Laudes venerabilis servi Dei

§. 2. Quamobrem cum magna superni numinis benignitate factum sit, ut in brevi dierum curriculo beatorum honores, et cultum quinque Dei servis decernere Nobis ex alto concessum sit, Nos lætari, et in Domino merito gloriari oportet, quod Deus omnipotens per humilitatis Nostræ ministerium hos famulos suos, ut in domo sua colluceant, in candelabro collocari voluerit. Congaudeat etiam nobiscum hæc Nostra Ecclesia fidei, ac morum magistra, ac ecclesiarum mater, in qua renovans Dominus multarum excellentium virtutum exempla hac ipsa ætate in ornamentum totius catholicæ Ecclesiæ exaltavit vere humilem Dei servum Nicolaum a Longobardis oblatum professum fratrum ordinis s. Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, quem neque doctrina clarum, neque ex literis humano studio comparatis præstantem, sed prorsus idiotam delegit, quo nimirum ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ, et cujus admirabili vitæ sanctitate, atque exemplo multos quidem ad vitam salutis perduceret, mundus vero, suique sectatores magis magisque coarguerentur. Siquidem postquam ipse in simplicitate cordis, et in sinceritate Dei primæ suæ ætatis, ac adolescentiæ tempus in humili, et agresti domo paterna degerat, divino spiritu ductus ad religionis portum confugit, eamque ingressus cœpit omni contentione corporis, et spiritus divina suffragante gratia digne ambulare in vocatione, qua vocatus fuerat. Nam carnem suam diris flagellis, et jejuniis castigans omnia terrena desideria mortificare studuit, quare pacatis passionibus, et concupiscentiis illum captivantibus in lege peccati, ac sibi ipsi perfecte mortuus tanta cœlestium rerum contemplatione, ac suavissimo Dei colloquio fruebatur, ut licet plane rudis, et literarum omnino ignarus mirum in modum tamen de rebus divinis loqueretur, atque incomprehensibiles earum sensus proferret; dum vero sacrosanctæ Triadis mysterium recogitabat, aut illud ab aliis vel verbo, vel signis ei repræsentabatur, a sensibus alienatus ad tam sublimis mysterii contemplationem illico raperetur; atque a Deo tantis erat præventus supernæ dulcedinis benedictionibus, ut etiam tum quando demandatis sibi muneribus fungebatur, ab cœlestis patriæ gaudiis haud unquam recederet. Quamobrem illud, quod de seipso dicebat apostolus, ad eum transferre quodammodo posse videtur, vivo jam non ego, sed vivit in me Christus.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus, tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eundem servum Dei Nicolaum multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocunque Nobis videretur, prædictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis. — Judicium sacræ congregationis Rituum.

§. 4. Hinc est, quod Nos totius antedicti ordinis fratrum s. Francisci de Paula minimorum nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de supradictæ congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica tenore præsentium in- — Beatificatio

dulgemus; ut idem Dei servus Nicolaus a Longobardis in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die ab ordinario, et ordinis prædicti præsulibus, ad quos spectat, designando, recitetur officium, et missa de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, ac missalis Romani.

Concessio missæ, et officii de communi confessorum non pontificum.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in toto ordine fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, ac in civitate, et diœcesi Tropiensi, in qua terra de Longobardi est sita, ubi dictus servus Dei natus est, ac in diœcesi Consentina, in qua pariter diu commoratus est, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, civitatum, et diœcesum prædictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinario respective constituta, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia die decima septima currentis septembris, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem Nostrarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictæ congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti dictæ congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xii septembris MDCCLXXXVI. pontificatus Nostri anno duodecimo.

## IN FESTO
# BEATI NICOLAI
## A LONGOBARDIS CONFESSORIS

*Oratio*

Orationes recitandæ in festo beati.

§. 7. Deus charitatis fons, et pœnitentium virtus, et prœmium, qui beatum Nicolaum confessorem tuum vitæ mortificatione, et charitate in pauperes mirabilem esse voluisti; da nobis, quæsumus, ut ejus exemplum imitati præmii quoque consortes effici mereamur. Per Dominum etc.

*Secreta*

Hostia, quam tibi, Domine, offerimus, illum in nobis misericoditer tui amoris ignem accendat, quo beati Nicolai cor jugiter æstuavit. Per Dominum etc.

*Postcommunio*

Sacramenta, quæ sumpsimus, Domine, beati Nicolai confessoris tui memoriam recolentes, ab omni nos adversitate custodiant, et ad salutem proficiant sempiternam. Per Dominum etc.

## DECRETUM

ROMANA

Decretum pro approbatione orationum prædictarum.

§. 8. Sanctissimus Dominus Noster Pius Sextus pont. max. referente r. p. Carolo Erskine fidei promotore, et p. fr. Liborio Maria Tedeschi sacerdote professo ordinis minimorum s. Francisci de Paula, postulatore, humillime supplicante, suprascritas orationes proprias in honorem beati Nicolai a Longobardis oblati professi supradicti ordinis adprobavit, easque recitari indulsit tum die solemnis beatificationis prædicti beati, tum in posterum in ejus officio, et missa ab omnibus utriusque sexus comprehensis in Brevi beatificationis, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9. septembris 1786.

J. card. Archinto præfectus

Loco ✠ Sigilli

Dat. die 19 septembris 1789 anno XV.

## MCLXVIII.

Confirmatio statutorum conditorum a sacra congregatione nuncupata » della Grascia » pro recta ejusdem tribunalis administratione.

### EDITTO

Carlo per la Divina Misericordia vescovo di Porto, e santa Rufina cardinal di san Marco, della Santa Romana Chiesa camerlengo.

Cardinal. camerarius chirographum pontificium exequendum accipit.

§. 1. Intenta la Santità di Nostro signore Papa Pio Sesto felicemente regnante a rettificare, e dirigere al maggior bene dello stato le diverse parti dell' amministrazione, e del governo, ha rivolta la sua attenzione eziandio ai veglianti regolamenti del tribunale della Grascia, affine di conciliare l'importante oggetto di assicurare a questa dominante l' abbondanza dei diversi generi di vittuali più necessarj al sostentamento del popolo con la maggiore prosperità, e floridezza dell' agricoltura, della pastorizia, e del commercio sole sorgenti di una tale abbondanza. A tale effetto inerendo al sentimento di una particolare congregazione composta di eminentissimi signori cardinali, e di prelati a ciò deputata dalla stessa Santità Sua è venuta nella benigna determinazione di abolire, e sopprimere perpetuamente la precettazione degli agnelli, degli animali neri, e dell' olio, sostituendo alla medesima diversi altri provvedimenti più utili, e più confacenti al divisato intento di assicurare a questa dominante la indicata abbondanza, come diffusamente si rileva da speciale clementissima cedola di moto proprio della medesima Santità Sua segnata sotto questo medesimo giorno del tenore seguente: cioè;

### Pius PP. VI.

### Motu proprio

Tenor pontificii chirographi

» §. 2. L' importante oggetto di » accrescere sempre più i vantaggi de' » Nostri amatissimi sudditi, al quale » sono state sempre rivolte le Nostre » paterne cure, ci ha resi sopratutto » sommamente solleciti di liberarli dai » vincoli, e dalle leggi proibitive, che con » sommo Nostro rammarico scoprimmo » opporsi al libero esercizio della loro » industria, e del loro commercio; » e conseguentemente all'ingrandimen» to della publica prosperità, ed opu» lenza: ed a tal' effetto dopo di ave» re sino al principio stesso del Nostro pontificato aboliti generalmente » li pedagj, che in tanta copia s' in» contravano ne' pontificj dominj, e » di avere in seguito ulteriormente » provveduto all' accrescimento dell'in» terna circolazione colla nota genera» le riforma delle gabelle, mediante » la quale sono state queste intiera» mente trasportate al confine, abbia» mo dipoi rivolta la Nostra attenzione » all' attuale legislazione del tribunale » della Grascia, dove non ignoravamo, » che abbondavano li regolamenti proi» bitivi, e vincolanti, e perciò siamo » venuti nella determinazione di depu» tare una particolare congregazione » composta di alcuni cardinali, e pre» lati, affinchè fra le altre cose esami» nasse, e riferisse, se si poteva con» ciliare l' importante oggetto di assi» curare a questa Nostra dominante l'ab» bondanza delle grasce coll' abolizio» ne dei divisati regolamenti proibitivi » e vincolanti, e particolarmente di » quelli, che concernono li precetti » da tanto tempo sospirata dal ceto » universale, dai proprietarj, e ripro» duttori delle grasce medesime nelle » provincie suburbane sottoposte a det» ti vincoli.

Ratio concessionis.

» §. 3. Ed avendo la congregazio» ne suddetta corrisposto pienamente » all' aspettazione, e fiducia, che in » lei avevamo, ha assunto un lungo, » e maturo esame del surriferito im» portantissimo oggetto, e dopo di ave» re minutamente ponderato tutto ciò, » che tanto a favore, quanto contro » del predetto sistema della precetta» zione è stato alla medesima diffusa» mente, e replicate volte dedotto, » nella sessione tenuta sotto li 13 del » corrente mese ha risoluto, che deb» ba intieramente abolirsi il predetto » sistema della precettazione insino ad » ora creduto necessario ad assicurare » alla capitale l'abbondanza degli agnel» li, e degli animali neri, e dell' olio » con avere immaginati diversi altri » provvedimenti più confacenti a con» seguire il medesimo intento: ed aven» doci il reverendissimo card. Vitalia» no Borromeo, come capo della stes» sa congregazione, fatta ampia, e det» tagliata relazione della risoluzione in» dicata, ha la medesima meritata in » tutte le sue parti la sovrana Nostra

» approvazione per li vantaggiosi, e » salutari effetti, che dalla sua esecu- » zione saranno per derivare tanto al- » la prefata Nostra capitale, quanto » alle riferite provincie suburbane, spe- » rando, che gli abitanti delle mede- » sime, e per il loro interesse, e per » corrispondere al pensiere, che ci sia- » mo dati di rendere pienamente esau- » diti i loro voti, si applicheranno se- » riamente a rendere sempre più flo- » ridi i loro gregi, ed oliveti, cosic- » chè in ordine ai bestiami, e all'olio » possano non solo servire al consumo » delle provincie stesse, e di Roma, » ma eziandio aprire dei detti generi » un' utilissimo capo di commercio at- » tivo cogli esteri.

Concessionis tenor,

» §. 4. Inerendo Noi pertanto al- » l'enunciata risoluzione della surri- » ferita congregazione particolare della » Grascia, colla presente Nostra cedo- » la di moto proprio, in cui abbiamo » per espresso, e di parola in paro- » la inserto il tenore di tutte le co- » stituzioni, leggi, editti confermato- » rj del vegliante sistema del tribu- » nale della Grascia, ed ogni altra co- » sa necessaria ad esprimersi, di cer- » ta scienza, e pienezza della Nostra » suprema potestà aboliamo, e perpe- » tuamente sopprimiamo il sistema del- » la precettazione insino ad ora tenu- » to, e praticato dal mentovato tribu- » nale della Grascia per assicurare la pro- » vista, e la consumazione degli agnelli, » degli animali neri, e dell'olio, e conse- » guentemente, ad eccezione della proi- » bizione di trasportare tali grasce, e » vittuali fuori di stato senza le dovu- » te licenze, che anche in appresso » dovrà restare nel suo pieno vigore, » vogliamo, che tanto nell' agro Ro- » mano, quanto nelle provincie subur- » bane di Marittima, e Campagna, La- » zio, Sabina, Patrimonio, come anche » nell' Umbria la contrattazione delli » surriferiti vittuali sia intieramente » libera, e rapporto ai medesimi s' in- » troduca nella più sciolta circolazio- » ne, che con tanto loro utile si tro- » va da molto tempo stabilita, ed in- » trodotta in tutte le altre provincie » de' Nostri dominj, come pure in- » tendiamo, che le grasce, e vittuali » suddetti trasportati che sieno in que- » sta Nostra dominante vengano in av- » venire esentati da tutte le altre leg- » gi vincolanti, ch' erano famulative di » quella della percettazione come sopra » rimasta del tutto abolita, e che per » conseguenza portati, che sieno in » Roma, possano di nuovo ritornare » indietro, qualora tra il venditore, » ed il compratore non si convenga del » prezzo, e che parimente nessun ven- » ditore di essi generi possa essere » come lo è stato insino ad ora astretto » a consegnare al compratore il genere » stesso, senz' averne contestualmente » ricevuto l' importo, ed il prezzo. In » ordine però agli agnelli per togliere » ogni dubio, che nel primo anno del- » la nuova legislazione sieno essi per » mancare al consumo di questa do- » minante, vogliamo, che li mercanti » di campagna, non meno che gli af- » fidati della dogana del Patrimonio nei » giorni del prossimo venturo mese di » dicembre esibiscano formale obbli- » gazione al capo della stessa congre- » gazione particolare della Grascia di » somministrare con abbondanza al cam- » po gli agnelli per le tre prime set- » timane dopo la pasqua.

Declarationes speciales.

» §. 5. Ed in vista del medesimo » oggetto di togliere sempre più il sur- » riferito dubio, vogliamo, che la fide- » jussione solita prestarsi in ciascun'an- » no dai macellari di tenere provveduti » i loro spaccj per tutta la stagione ab- » braccj eziandio l' obbligazione parti- » colare di tenere provveduti i loro ma- » celli della conveniente quantità di » carni agnelline nelle riferite tre pri- » me settimane dopo la pasqua. Una » tale fidejussione non dovrà peraltro » essere più illusoria, e soltanto appa- » rente, come lo è stato insino ad ora, » ma bensì reale, ed idonea; e perciò » mancando alcuno di detti macellari » di esibire questa idonea sicurtà, non » gli dovrà essere permessa l' apertura » del macello. Ed anche li pizzicaro- » li dovranno essere tenuti a dare ido- » nea sicurtà di tenere ne' debiti tem- » pi provvedute le loro botteghe di car- » ni porcine, e di olio, sotto la stes- » sa pena di essere inabilitati ad eser- » citare la loro arte; ed in ordine poi » a quest' ultimo genere di vittuale per » tranquillità, e per quiete della Grascia » dovrà ogni pizzicarolo dare alla pre- » sidenza l'assegna dell' olio da lui prov- » veduto, e accaparrato, ed ogni mese » di quanto ne avrà spacciato, e di » quando in quando senz' alcuna sua » spesa, o vessazione li ministri della » stessa presidenza mediante la visita » effettiva della pizzicheria verifiche- » ranno, se esista effettivamente il ge- » nere assegnato. Dovranno poi aprirsi » quattro macelli, ed altrettante piz- » zicherie per conto della Nostra ca-

